




J. H. Gownus
De Valsonne Rugdun.
Medic.

Cholosa 1678

22. febr. Joannis Gibelot
doctoris medici

158



Pf XVII - 360

TRACTATUS

D E

APOPLEXIA:

IN QVO HUJUS
affectionis causa penitus
inquiritur & curatio
exponitur

Ex Doctrina Hippocratis.

Auctore FRANCISCO BAYL
Doctore Medico.



TOLOSÆ,

Excudebat B. GUILLEMETTE,
Typographus, sub Signo Divi
Bernardi, ante Collegium
PP. Societ. JESU.

M. D C. LXXVII.

Cum Permissu Superiorum;



SECRETARIA

ABOGADO EN EXCELENCIA

CONSEJERO HONORARIO

NOTARIO PÚBLICO

ABOGADO DE FAMILIA

ABOGADO DE TRABAJO

ABOGADO DE INVESTIGACIONES

ABOGADO DE DERECHOS HUMANOS

ERRAT

<i>pag.</i>	<i>lin.</i>	<i>errata.</i>	<i>correcta.</i>
6	21	synopen	syncopen
20	25	quid sit	quid fit
22	14	quâdatâ portâ	quâ data porta
36	24	in eo	in eo
45	3	perfe erent	perseverent
39	4.	cladem	eadem
Omissa ad finem cap. 7. videantur pagina 125.			
200	25	capite 4.	capite 7.

1	2	3	4	5
1771.12.1	1771.12.1	1771.12.1	1771.12.1	1771.12.1
2	3	4	5	6
6	7	8	9	10
11	12	13	14	15
16	17	18	19	20
21	22	23	24	25
26	27	28	29	30
31				



TRACTATVS
DE
APOPLEXIA.

CAPUT. I.

Que sint ad hujus morbi contemplationem premissenda.



RERORUM in Medicina scaturigo præcipua est ignoratio structuræ, ac usus partium corporis humani, & œconomiae illius admirandæ, quâ corpus universum regitur, quâque partes omnes illud constituentes ad ejus conservationem conspirant, sibique mutuo compatiuntur. Qui hæc ignorat nihil rectâ methodo moliri potest in salutem agrotantium, & si quid in iis, quas suscipit, morborum curationibus fœliciter succedit, id totum fortunæ est, aut roboris virium agrotantis, quæ non solum à morbo, sed etiam

A

2 DE APOPLEXIA

à pravis, aut perperam adhibitis remediis illata detimenta ferre potuerunt. Etenim quā ratione potest morbus ille expugnari, cuius sedes ignoratur, cujusque natura medicum latet? Quae certa est via, ut inveniantur remedia convenientia, ad debellandam causam morbificam incognitam? Quapropter Galenus c. r. lib. i. de locis affectis docet, ad curationem morborum rectè instituendam, exercitatum debere esse Medicum in sectionibus corporum, cùm his solis doceri possit, quānam sit partis cujusque substantia, structura, & usus; ex quibus facile ducitur, quæ esse possint functionum lēsiones, quæ lēsionum causæ, quæ utrorumque remedia.

Si unquam necessaria fuit earum rerum perfecta notitia, tum certè maximè necessaria est, quando Apoplexiæ, morbo adeo præcipiti, ex quo præsentissimum imminet vitæ periculum, qui maximorum remediiorum vires eludit, est occurendum, non fortuitis & incertis Empiricorum auxiliis, sed certâ methodo. Quisquis hujus notiæ necessitatem agnoscit, agnoscit etiam quanta sit ad eam consequendam adhibenda cura & diligentia, si à vulgaribus erroribus liber perspiciat, quād dubiæ sint, & quād futilibus fundamentis nitantur passim receptæ de Apoplexiæ causâ, ejusque sede opiniones.

Seu ignavia id factum est, seu sincerâ, fictâve in veteres scriptores reverentiâ, seu insulsâ nescio quā verecundiâ Medicorum timentium à rejectis vulgo opinionibus recedere, & aliquid ultra tentare; inulta diu maneat anatomia, tot humorum fontes latuere, ac

incogniti fuerunt veri multarum partium usus: non satis perspectæ fuerunt variorum humorum facultates, nec adhuc ea omnia multum curant, qui lucrum sibi præcipuum scopum proponentes Physiologiam vix primis labris attingunt, ut citissimè ad praxim properent, quam scientiam appellant de parte lucrando. His Medicis sufficiunt usitatissimæ aut fæliciter aliquando usurpatæ remediorum formulæ, ii de reliquis sunt parum solliciti, in tutò samam se collocasse putantes si remedium præscriptum aliàs bene successerit. Qui veri sunt Hippocratis discipuli, ad hujus, quam tracto, materiae speculationem, non ante accedent, quam noverint structuram corporis humani, & partium usus, sed præcipue cerebri, quæ omnia addiscere debent, non ex libris (quod ipse Galenus veterat) sed ex ipsis corporis partibus per sectiones, in quibus duces habent, quos sequantur viros præstantissimos Villarium, Malpighium, Stenonem, Graaf, aliosque: nec minus necesse est perspectas habere humorum in massâ sanguinis contentorum varias facultates, ex doctrina Hippocratis in libris de veteri Medicina, de diata, aliisque. Hæc omnia supponam, aut eorum pauca tantum leviter attingam: aliàs pro speciali morbi unius expositione, *integra* mihi esset condenda Physiologia: ex illis omnibus, & ex gravissimiis symptomatis, quæ Apoplexiā comitanur, sexissimæ illius affectionis causam eliciam, duce Hippocrate, experientia comite, ratione suffragante. Deinde remediorum vim expendam, ac demonstrabo, quare fortis Apoplexia nullâ potest arte curari. Nec enim satis est

4 DE APOPLEXIA

Medico lethalem esse Apoplexiā fortē pronuntiare, quia eorum, qui illā affecti sunt, hactenus nullus potuit quibuscumque auxiliis ab interitu vindicari: hoc enim in medicorum inscitiam referunt & referent semper, qui artem deprimere delectantur, donec demonstratum sit ad illius affectionis curationem, eorum omnium quae sunt in hominum potestate vires esse inferiores, ita ut, qui pereunt fatali necessitate pereant, non medicorum inscitiam; cùm impossibile sit, quæcumque adhibeantur auxilia, fortis Apoplexiæ causam expugnare, sanguinemque ac spiritus in statum naturalem restituere, ut ille continuâ & moderatâ effervescentiâ calorem in corpore soveat, & hi functionibus animalibus obeundis inserviant, adeo ut Medicus non modo culpâ vacet, sed etiam admirationi sit futurus, si non solum eventum morbi prænuntiet, sed etiam evenitus causam designet. Eādem causæ Apoplexiā producentis notitiâ intelligitur, quibus auxiliis, quæ levis est Apoplexia debelletur, non mediocri Medici laude, & summo ægrotantium commodo.

CAPUT II.

Apoplexiæ notio communis exponitur.

APOPLEXIA vox græca est ἀποπλεξία & percussionem significat. Hæc vox frequentissimè usurpatur ad designandum affectum, de quo agimus, quia eō correpti ve-

luti valido in capite iectu impeterentur, subito concidunt, sine voce, sine sensu, ac sine motu. Idem morbus voce latinâ sideratio nuncupatur, & qui eō affliguntur siderati appellantur, quia veluti de cœlo tacti essent, & maligno quodam sidere afflati, subito corrunt attoniti, & functionibus omnibus animalibus destituti, exceptâ respiratione, quæ difficile & cum ftertore perficitur. Ob subitam illam morbi invasionem, & stupendam symptomatum vehementiam, quā maximam partem ægrotantes de medio tollit, huic morbo creditum est inesse divinum aliquid, ut loquitur Hippocrates. Hæc affectio ab aliquibus appellatur paralysis universalis, ob motus & sensus abolitionem: verū magno distant discrimine paralysis & Apoplexia, spectatis omnibus Apoplecticorum symptomatis.

Apoplexia communiter definitur. Repentina sensus & motus omnisque functionis animalis privatio, exceptâ respiratione, quæ difficile perficitur. Illa definitio traditur in scholis ex mente Galeni c. 3. de differentiis symptomatum, & c. 10. l. 3. de locis affectis. Verū pace Galeni & ejus sequacium liceat dicere: hæc definitio est Logica tantum aut grammatica, non Medica: etenim solam vocis significationem exponit, quā utimur ad designandum morbum, qui memorata profert symptomata, quicumque ille sit, & à quacumque causâ dependeat, nec partem affectam, nec affectionis naturam satis clare designat, nec affectionis & vehementium symptomatum causam exponit, quæ tamen imprimis nosse debet Medicus, & attentè considerare, ut ex clara rerum

6 DE APOPLEXIA

illarum idea intelligat, quæ sint agenda ad morbi adeo sævi & præcipitis curationem methodicè suscipiendam, & perficiendam, aut ad qualecumque levamen ægrotantibus conferendum.

Si quis receptæ communiter opinionis defensor existimet, per functionum animalium abolitionem, clarè satis hæc omnia designari, quia ex eo, quòd functiones omnes animales dicantur esse abolitæ, satis intelligitur, cohibitum esse spirituum animalium influxum in organa sensus & motus, eorumdemque spirituum animalium fontes occlusos esse, aut exhaustos, hoc est, affectum esse cerebrum. Si quis inquam ita sentiat advertat velim Apoplexiæ causam, hac definitione non satis explicari, ad curationem ritè instituendam. Etenim non quilibet spirituum animalium exhaustus, non quælibet ductuum nerveorum occlusio in cerebro Apoplexiæ inducit. Spirituum defectu concidunt ægrotantes in synopen, & motu ac sensu privantur, ac subito interdum intereunt, si vehementer fuerit affectio. In paralysi universali occluduntur nervorum ductus. Præterea ex illâ cerebri affectione, ex cohibito spirituum animalium influxu deduci nullatenus potest respiratio difficilis, quæ aliquando cum steriore fit vehementique conatu ac magna thoracis dilatatione. Si enim musculi abdominis, diaphragma, musculi intercostales aliisque respirationi inservientes omni influxu spirituum animalium destituantur, necesse est ut illorum actio penitus intercipiatur, prout contingit in artuum muscularis: vel si paucus fiat spirituum torpidorum affluxus, necesse est

CAPUT II.

7

parva thoracis dilatatione, motu partium tardo ac languido, debili muscularum actione, respirationem parvam ac tardam, non vehementem perfici. Ex allata itaque Apoplexiæ causâ patet deficere vires ad vehementis respirationis conatum adeo validum, nec aliunde ex illâ causâ deduci potest necessitas magnæ adeo respirationis. Recurrentum est igitur ad aliquid aliud, ut clare & perspicue explicetur Apoplexiæ natura, & modus generationis illius.

Dicit aliquis, etiam si Apoplecticorum corpus statim prosternatur, integras tamen permanere vires ad respirandum, naturam scilicet, quæ de animalis salute est sollicita, suâ summâ providentiâ ac sapientiâ ita corpus illorum comparavisse, ut respiratio, quæ ad vitam est maximè necessaria, non nisi à causis validissimis intercipi possit, & functionibus reliquis abolitis, ultimus conatus in illam impendatur. Adjicit alius, quia continuus est respirationis usus, continua muscularum ad id munus inservientium actio, spiritus animales continuò in nervos illorum muscularum influendo vias dilatare, & ita disponere, ut per illas sine impedimento excurrant, in illos nervos facilius influant, quam in altos, hincque fieri, ut ii nervi spirituum influxu postremâ preventur.

Dicit præterea magna dilatationis thoracis, adesse insignem necessitatem, & non mediocrem ad illam efficiendam irritationem. Dicit pulmonum bronchia impleri pituitâ, quæ in Apoplectis ubertim à capite influit in fauces, ac proinde non posse aërem, in bron-

chia plena attrahi , nisi magna fiat thoracis dilatatio , uti solet in asthmaticis. Eadem operatione bronchiorum incitari animal ad magnam & validam respirationem satis manifestum videtur.

Ad hæc respondeo me lubenter concedere supremam naturæ providentiam in formandis animalium corporibus omnia sapientissimè dispensavisse. Concedo etiam continuo spirituum in nervos influxu , eorum ductus augeri , ac dilatari nisi aliquid impedit , aut contrarium efficiat. Non modo denique concedo eas ob causas , muscularum respirationi dicatorum motum ultimò sufflaminari in Apoplecticis , sed etiani addo motus cordis , ventriculi , intestinorum , & omnium viscerum , quæ functionibus naturalibus inservire dicuntur ultimos labefactari , quam exceptionem præcedentium saeculorum Medici omisere , cum dixerunt functiones omnes animales in Apoplexia aboleri , quia eas tantum partium motiones à facultate animali pendere existimabant , quæ nostro subjacent arbitrio. At nego quæ sequuntur , scilicet bronchia pulmonum à pituitâ è cerebro confertim delabente impleri , & illâ bronchiorum repletione & suffocationis periculo , ad magnam thoracis dilatationem ægrotantem incitari. Si enim illa respirandi difficultas cum stertore , à pituitâ in pulmones delapsu dependeret , non ante difficilis esset respiratio , non ante sterterent ægrotantes , quâm factus fuisset magnus pituitæ in fauces decubitus : videmus tamen interdum ægrotantes , qui , cùm sani erant , liberè respirabant , in primâ Apoplexiæ fortis invasione statim stertere ,

C A P U T I I . 9

antequam non solum pituita pulmones impleat, sed etiam antequam in fauces ejus aliquid defluat, ut facilè adverteret diligens eorum, quæ ægrotantibus accidentunt observator. Nec enim, ut vulgo creditur, pituitæ impetus & extra vasa effluxus partim in cerebrum, partim in fauces concitatus Apoplexiæ efficit, sed potius sequitur, ut in hujus tractatus decursu fusiùs demonstrabitur. Decubitus igitur ille pituitæ in fauces, est effectus Apoplexiæ, summamque arguit virium dejectionem, & spirituum exhaustum, aut depressionem vel extinctionem. Sic in moribundis ferè fit involuntarius lachrymarum effluxus, & pituita uberior in fauces stillat, sudor manat frigidus, & omnium ferè humorum fit intempestivus ac perniciosus effluxus, quia dissipati sunt spiritus animales, qui vasorum officiis, custodum instar, præsunt, ut determinazione à cerebro acceptâ, prout corporis conservatio exigit, viam humoribus aperiant aut claudant, ut fusiùs demonstravi in Problemati & in secunda dissertatione Medicâ, & in quartâ dissertatione Physicâ. Præterea pituita, quæ in fauces Apoplecticorum decumbit, non defluat in pulmones, sed in ventriculum, quod satis demonstrat facilis eorum, quæ in os Apoplecticorum ingeruntur, deglutitio, quorum nihil ferè in pulmones delabitur. Etenim cùm aliquando vel jusculti guttula in Apoplecticis ad eas vias deflectit, tussi excitata rejicitur, & cùm aliquando pennâ in os immissâ pituita aliquid ad respirationis ductus propellitur, ad tussim satis vehementem incitatæ ægrotans. Cùm itaque nulla tussis

in Apoplectis excitetur, nullus etiam sit pituitæ è cerebro, aut potius ex relaxatis circa fauces ductibus, in pulmones decubitus. Eodem errore vulgo creditum fuit olim, & adhuc à quibusdam creditur pulmones asthmaticorum pituitæ è capite stillante impleri, & cerebrum copiosæ illius pituitæ esse primam scaturiginem, cum fuit refrigeratum & humectatum &c. quamvis nulli sint ductus, nulli meatus, per quos pituitæ adeo crassæ & copiosæ è cerebro stillanti pateat transitus infauces.

Objicietur ex iis, quæ bibuntur, aliquid in trachæam arteriam delabi, quod aliquando observatum est exhibendo animalibus potulenta colore aliquo saturata, quæ interiorem trachææ membranam infecerunt. Respondeo, si id aliquando contigit, sensim & in paucissimā quantitate liquorem eō defluxisse, ut diuturno etiam fluxu bronchia non potuerit implore. Experienciam enim compertum est vel guttula aquæ, si subito in partes illas defluat, non modo tussim vehementem excitari, sed etiam, nisi paucula illa aqua promptè rejiciatur, suffocationis periculum induci. Si aquæ guttula infert symptoma adeo vehementia quid faceret ingens pituitæ decubitus confertim factus, numquid aut tussim excitaret, aut ægrum statim suffocaret.

Manifestum igitur est, nec pulmones repleri pituitæ è cerebro defluente, nec eadem pituitæ pulmones opplente animal ad magnam respirationem incitari. Manifestum est etiam, allatam definitionem esse tantum Logicam, & morbi, quem designat naturam, sedem & cau-

sas non satis clarè explicare , & ad id eam tantùm conferre , ut ex propositis symptomatis dignosci possit quinam Apoplexiâ afficiantur , non verò vi illius definitionis intelligi , quid sit agendum , ad ægrotantem à præsentissimo periculo liberandum . Cùm itaque accurata ad usus medicos morbi definitio complecti debeat non modo symptomata , sed etiam ipsius morbi naturam ejusdemque causam , & partem affectam , non ante illam definitionem tradere aggrediemur , quàm hæc omnia accuratè penderimus , & singula clarè & perspicuè exposuerimus , quantum patitur abstrusa rerum Physicarum , & eorum quæ in internis corporis humani recessibus contingunt , natura .

De differentiis Apoplexiæ.

DE differentiis essentialibus , aut iis quæ causarum varietate petuntur , non ante statui quidquam potest , quàm explicata fuerit Apoplexiæ natura , & causa à quâ dependet demonstrata . Quapropter hic tantùm agitur de differentiis accidentalibus quæ ab hujus morbi symptomatis deducuntur , quas ante leviter attingendas censeo , quàm Apoplexiæ causa inquiratur , quia illarum consideratio conducit non parùm ad faciliorē veræ quam querimus cause investigationem . Quæ hic spectantur symptomata sunt functionum omnium animaliū repentina abolitio exceptâ respiratione ,

quæ cum difficultate perficitur. Hæc duo symptomata constituunt signum pathognomonicum Apoplexiæ.

Ratione majoris aut minoris læsionis in respiratione, Apoplexia sortitur quatuor differentias. Alia scilicet Apoplexia est fortissima: alia fortissimæ proxima: alia fortis: alia debilis. Apoplexia fortissima est ea, quæ statim agrotantem de medio tollit, aut cum functionibus animalibus vitales appellatas, respirationem & pulsū, subito intercipit, aut ita imminuit, ut sensu deprehendi non possint. Verum cùm in iis, qui ita afficiuntur, non appareant supra memorata Apoplexiæ signa pathognomonica, dubitari potest an præceps ille interitus, aut subita respirationis & pulsus abolitio veræ Apoplexiæ sint accidentia, an syncopes; an ectasis melancholicæ, an affectionis hystericae. Quapropter prudenter consulunt Medici, ut qui ita mortui sunt, aut pro mortuis habentur, non ante triduum elapsum, sepeliantur: cùm ex variis historiis constet, tum viros, tum præcipue mulieres, quæ expirasse credebantur, intra illud tempus ab ectasi, aut affectione hysterica liberatas fuissent.

Apoplexia, quæ fortissimæ proxima censetur, est illa, in quâ æger difficeret, & cum magna violentia respirat, stertorque auditur, & spuma circa os appetit. Tertiæ ordinis Apoplexia fortis simpliciter dicta, est etiam vehementis, sed minus, respirationem efficit violentam, inæqualem, inordinatam, intermittem.

Denique Apoplexia debilis mitiora habet omnia

omnia symptomata, respirationem inducit cum aliquâ violentiâ sed quæ aliquatenus ordinem servat.

Illæ omnes differentiæ in variâ consistunt respirationis noxâ. Sed quia de primâ respirationis lœfione, quæ in subitâ abolitione consistit, dubitari potest quando vera est Apoplexiæ soboles, nec cognoscitur an ab Apoplexiæ causâ dependeat, nisi per sectionem cadaverum, quod forte nemo adhuc observavit, non est cur Medicus ejus considerationi multùm insistat: cùm aliunde hic nullus sit locus artis auxiliis. Quapropter si cui placet hanc Apoplexiæ speciem expungere, non repugnabo. In reliquis Apoplexiæ differentiis non solum perpendere debet Medicus quanta sit respirationis noxa, sed etiam quanta sit totius corporis resolutio, an ab irritantibus alicuius partis motio concitetur; quæ in utroque hoc symptomate, resolutione scilicet, & spirandi difficultate contingunt varietates, clare satis ostendunt quâ sit viâ incedendum, ad inveniendam veram Apoplexiæ causam.

Quantum existimet imminere periculum Apoplecticis ex difficultate respirationis, declarat Galenus l. i. de locis affectis cap. 10. cùm ita loquitur. *Discernitur autem affectionis magnitudo, ex noxe quam spirationi infert vehementiam, cùm enim naturalem ordinem primum egreditur, magnam, cùm vero parum impeditensi est, parvam in cerebro noxam esse conjicere oportet: sane omnium pessima spiratio censenda est, quæ & intermissit, & magna cum violentiâ trahitur: & sane mori contingit Apoplecticis ob id, quod spirare non possunt. Sicut*

partium immobilitas inutilem quidem reddit hominem ad vita functiones, non tamen acutam infert mortem. Respirationem cum vehementia perfici in forti Apoplexiâ, ab inæquali & intermittente respiratione præsentissimum periculum præsagiri, quotidiana experientia demonstrat. An vero Apoplectici defectu respirationis intereant non ita certum est, cùm in variis affectibus respiratio penitus intercipiatur, saltem ad sensum, sine ægrotantium interitu, uti in hysteris affectibus, & ectasi melancholicâ: nec antea certum erit, quām fuerit demonstratum, Apoplecticos magis egero respiratione, quām eos qui ectasi correpti trunci instar manent immoti.

CAPUT IV.

*Communiores de causâ Apoplexiae
opiniones expenduntur.*

OPINIO PRIMA.

QUAE vulgatissima fuit in scholis opinio de causâ Apoplexiæ tribuitur Galeno, qui l. 3. cap. 7. de locis affectis ita habet. *Apoplexiæ autem, quod subito eveniat, aut frigidum humorem, aut crassum, aut viscidum, qui principaliores cerebri ventriculos affatim implet, non totius substantie intemperiem, causam esse manifestum est.* Idem Galenus l. 2. de causis, symptomatum cap. ultimò ita loquitur. *Apoplexiæ & Epilepsie ex piisitosis succi multitudine, in ipsius cerebri ventriculis collectâ, gigni videntur, eo que sit, ut subitanæ sit eorum tam*

generatio; quam discussio. Ex his itaque Galeni locis statutum est proximam Apoplexiæ causam esse obstructionem ventriculorum cerebri anteriorum à pituitâ crassâ: nec videbatur sententia ista in dubium posse revocari apud eos, qui existimabant anteriores cerebri ventriculos esse officinam, in quâ spiritus animales preparantur, ut inde in organâ sensus & motus influant. His positis, ex eo quod in universo corpore functiones animales essent abolitæ, rectè inferabant in ipsâ nervorum origine spiritus animales intercipi, aut eorum in organâ sensus & motus influxum prohiberi. Cùm verò Apoplexiâ correpti, véluti essent de cœlo tacti, subito corruant, & functionibus omnibus animalibus priventur, videbatur intemperiem cerebri, repentina adeo insultus, causam esse minimè posse, cùm ipsa non in instanti, sed sensim, ad eum in quo perniciem inferre potest statum, perveniat, & sui progressus in actionum læsionibus signa necessariò prodat. Quapropter ventriculorum cerebri subita obstructio, quam pituita viscida & crassa in eorum cavitatem subito irruens efficit, (crassum enim necessariò est quod obstruit) existimata est Apoplexiæ causa. Ad hujus sententiæ confirmationem non parum conducebat, quod in fauces Apoplecticorum ingens pituitæ copia decumbit, quodque aperito cerebro eorum, qui Apoplexiâ extinti sunt, illius ventriculi humore crasso & viscidio, aliquando gelatinam referente, plani reperiuntur..

In hac sententiâ duo sunt nobis accuratiùs examinanda. Primum, an spiritus animales

generentur in ventriculis cerebri. Secundum, an pituita possit memoratam obstructionem subito producere. Quod ad primum attinet; qui ventriculorum cerebri dignitatem defendunt, eosque afferunt esse spirituum animalium officinam, solâ illustrium scriptorum autoritate despoticè imperando, assensum postulant, suæ sententiæ veritatem non modò demonstratione non probant, sed ne ratione quidem ullâ verosimili suadent. Unde enim suppetit materia ad spiritus animales generandos? Quâ vi pollent ventriculi cerebri ad illum effectum producendum? Quâ denique viâ spiritus depurati è ventriculis cerebri in nervorum ductus influent? An dicent subtiliorem sanguinis portionem, è plexu mirabili per insundileum in ventriculos expirare; an è plexu choroide? Quod attinet ad plexum mirabilem, is aut nullus est in homine, aut exilis admodum, cum à peritissimis, & maximè industriis anatomicis summi diligentia quæsitus numquam fuerit inventus, paucis se illum observalsse afferentibus, forte eâ præconceptâ opinione, quia illud in brutis observaverant, existimantibus similem in homine reperiri. Præterea facilior esset inde erumpentibus spiritibus ad alia loca transitus, quam ad ventriculos cerebri. Plexus verò choroides, quamvis in ipsis ventriculis situm obtineat, vix concipi potest quibus viis spirituum materiam profundat, cuius non nisi exigua quantitatem suppeditaret, quamvis multa sit necessaria, ut continuus esse possit spirituum in omnes nervos influxus in vigiliâ. Sed concedamus materiam idoneam & sufficienti quanti-

tate in ventriculos defluere per quascumque vias deferatur. Quomodo poterit illa optimè preparari, & in spiritus mutari in cloacâ cerebri in eo loco, ad quem excrementorum tanta copia decumbit, patentibus ipsis hujus sententiæ assertoribus. Ipsi ventriculorum parietes videntur ad illam spirituum elaborationem parùm idonei, cùm sint reliquis cerebri partibus longè frigidiores, paucissima enim habent vasa sanguinea, paucissimo perfunduntur sanguine, à quo omnis in corpore actualis calor emanat. Concedamus adhuc spiritus animales in ventriculis cerebri generari, à quâcunque vi eorum generatio dependeat. Quid fieri de substantiâ illâ subtilissimâ, maximè mobili, quaquaversus impetum faciente, ut loquitur Hippocrates? Numquid illa potius per magnos & patentes ventriculorum hiatus laterales in spatio cerebrum inter & membranas erumpet? Numquid per infundibulum eodem impetu feretur, & per manifestos ductus in venas jugulares illapsa ad cor remeabit, potius quam subeat angustissimos nervorum ductus? Profectò quisquis hæc omnia attenè perpendet manifestò perspiciet ventriculos cerebri, non esse officinam spirituum animalium; quod denique hoc argumento clarissimè evincitur. Spiritus animales in eâ cerebri parte generantur, aut separantur à sanguine, è quâ facilis illis est in nervorum ductus influxus, facile autem spiritus in nervos influunt, ex eâ cerebri parte in quam nervi desinunt, nec enim per latera sed per ea quæ in extremitate sunt oscula se se in nervos insinuant. Nervorum autem extrema non desinunt aut

DE APOPLEXIA

pertingunt ad ventriculos cerebri , ac proinde à ventriculis nec spiritus , nec aliud quidquam suscipere possunt . Facilè fuisset Medicis tot & tam magnas futillesque ac fastidiosas circa hanc materiam controversias labore non magno præcidere , si placuisset cerebri structuram , fibrarum nervearum ex ipso extensionem , & contextum per sectiones observare . Advertisserint jam olim , quod nuper detexit solertissimus Malpighius , nerveas fibras in cerebro in cinereum corticem desinere . Quia descriptiones partium quarum fibrae sunt variè implicatae vix claram earum ideam excitant , quæ per solam illarum inspectionem obtinetur : quin potius plerosque , qui solâ narratione satiis se doceri putant , ab observationibus per sectiones faciendis avocant : nihil dicam de interiore cerebri structurâ . Non filebo tamen mihi jampridem de cerebro per coctionem præparando , ut facilius illius structuram sectione explorarem , cogitanti in mentem venisse cerebri substantiam ab olei naturâ esse multum diversam , ac proinde juxta 38. meorum Problematum , fibras , quibus constat , majorem posse consistentiam assequi , si in oleo incoquarentur , quam in quocumque alio liquore , quod feliciter successit . Monitum velim curiosum lectorem ista observandi cupidum , stupas aut molle quidpiam aliud esse cerebro subjiciendum , dum coquitur , ne vasis fundum aut latera tangat , & cavendum esse à violentâ aut diuturnâ nimis coctione : si enim cerebrum diutius coquatur in oleo friabile redditur . Detrahende præterea sunt membranæ , quam maximâ fieri poterit industria . Sic ritè præ-

parati cerebri fibræ æquâ ferè facilitate ab invicem separantur , ac fibræ muscularum postquam in aqua cocti sunt , & sic licet earum fibrarum contextus ac complicationes intueri . Hac ratione explorando interiorem cerebri structuram , diligentiores & solertiores Anatomici clariorem assequentur notitiam usum singularum partium quibus constat , quod non parum conferet ad illarum morbos & morborum causas cognoscendas , ac denique ad curationem fælicius & certiore methodo instituendam.

Quod attinet ad subitam insultus Apoplectici invasionem , & subitam ejusdem solutionem , quamvis per obstructionem , & obstructionum operationem contingenter , non video quomodo eæ in pituitam crassam & viscidam referri possint , cuius humoris necessariò tardus est motus , cum ob crassitatem meatus exiliissimos vix possit pervadere , cumque ob visciditatem vicinis corporibus glutinis instar adhærescat . Cum perpendo locum in quo pituitosa illa excrementa colliguntur , & vias per quas inde evacuantur , & quas in partes confluent , vix adducor ut credam ; ea esse mera excrementa , hic enim , ut in quibuscumque aliis corporis partibus , naturæ providentia vias parasset , per quas extra corpus possent amandari , nec reliquisset ductus illos manifestos , per quos in venas jugulares defluunt , ut iterum sanguini permisceantur . Ex his mihi videtur non levi conjecturâ deduci posse humorum illum , qui in cerebri ventriculis colligitur , esse alicujus utilitatis , & magis redolere naturam seri concrescibilis sanguinis , quam

puræ putæque pituitæ. Huic conjecturæ favet, quod humor ille non solum in cerebri ventriculis, sed etiam circa cerebrum gelatinæ instar concretus reperitur, de quo infra plura dicam. Verosimillimum est spiritus, cum separantur à sanguine, seri concrescibilis secum aliquid deferre, cujus quod superfluum est, secundâ philtratione abjiciunt, & in ventriculos cerebri deponunt.

Circa memorata excrementa occurrit alijs error existimantium glandulam pituitariam infundibulo suppositam esse, ut exsorbeat cerebri excrementa. Profectò, exigua cum sit, paucò potest excremento saturari. Postquam est saturata, quid sit de eo, quod suscepit excremento, & de reliquo quod in cerebri ventriculos confluit? Ex usu glandularum operâ VVarthoni detecto, & ex manifestis viis, quibus illi excremento patet exitus error ille sufficienter refellitur.

Ex dictis etiam manifestum sit quām sit hallucinatus Cartesius cum statuit præcipuam animæ sedem in glandulâ pineali: ex qua opinabatur spiritus animales jugi effluvio erumpere, & prout hī aut illi nervorum ductus erant aperti, in illos influere, aut etiam aliquando clausos aperire, si magnâ copiâ & vehementi cum impetu erumperent. Etenim ex supra recensitâ cerebri structurâ manifestò evincitur glandulam pinealem huic usui inservire nullatenus posse. Quis autem sit verus illius glandulæ usus, non est ita facilè statuere. Cum in variis cerebris hominum, boum, ovium, semper deprehenderim glandulam illam manifestâ sal sedine eaque satis acri esse

imbuitam , suspicor in eâ salem aliquem volatilem à sanguine separari , sali volatili ammoniaco analogum , qui in caudicem medullæ spinalis diffusus , vigorem addit spiritibus animalibus , & eorum coagulationem impedit.

Ex dictis manifestissimè patet ventriculos cerebri non esse officinam spiritibus animalibus generandis accommodatam , nec tantam esse eorum dignitatem ; quantam veteres prædicabant , ita ut non immerito censeant aliqui , non esse eorum usum aliquem specialem , sed eorum cavitates per accidens emergere ex necessariâ fibrarum dispositione , partium circumstantium structurâ , & concursu , ut variis aliis in corpore cavitatibus accidit quarum nullum esse usum in confessò est apud omnes.

Cùm ex dictis etiam manifestum sit ventricolorum cerebri obstructionem non esse Apoplexiæ causam : mirum videri minimè debet quod ventriculi cerebri eorum qui Apoplexiâ extinti sunt vacui reperiantur & ab omni humorum colluvie liberi , ut patebit ex sequentibus historiis.

Dicit aliquis non ita facilè deserendum esse Galenum , nec spernendam ipsius autoritatem . Respondeo . i. me satis alibi dixisse , quando & quantum ponderis habeat Galeni autoritas , qui sine contemptu deseritur , quando rationum evidentiâ ab eo recedere cogit . Non ii , qui quæcumque à Galeno dicta sunt cæco & servili obsequio , seu vera seu falsa sint , propugnant , tanti viri famam tuentur , sed qui , licet interdum ipsi adversentur , quanta fuerit ejus ingenii solertia , quanta diligentia in excolendâ Medicinâ cognoscunt , & prædicant . Respondeo 2.

Quod attinet ad usum ventricorum cerebri, eos non esse officinam spirituum animalium manifestissimè convinci, ex illâ, quam in libris de usu partium ipse Galenus refert, historiâ juvenis, qui vulnerato altero cerebri ventriculo anteriore superstes evasit. Nec dicat aliquis functionum integratatem permansisse, quia alter ventriculus fuit illæsus, inane enim illud est ignavorum effugium, qui si optimis paruisserent Galeni consiliis, potuissent per sectiones observare, omnes cerebri ventriculos unicum constituere cavitatem, ac proinde non posse unum vulnerari, quin ex omnibus, si qui continerantur spiritus, quâ datâ portâ impetum facientes foras avolent. Respondeo 3. non sibi constare Galenum in assignandâ causâ & sede Apoplexiæ, licet enim locis supra citatis asseruerit eam affectionem deprehendere à pituitâ crassâ & viscidâ oplente ventriculos cerebri, l. 4. de locis affectis c. 2. de sopore, Apoplexiâ & morbo comitiali differens ita loquitur.
Horum igitur trium morborum, frigidus ac crassus, aut omnino viscidus humor causa est, verum & in sopore & morbo comitali ventres magis, cerebri corpus minus: in Apoplexiâ vero corpus magis affici debet.

Respondeo denique multa debere condonari Galeno, ad cujus tempora à temporibus Hippocratis inculta fuerat Anatomia, quam tantus vir assiduis laboribus exornavit, postoris egregia præcepta reliquit, ad eam ulterius zugendam, quibus præceptis qui utuntur, & tanti viri consiliis parent, ii sunt veri Galeni cultores, non qui ejus errores mordicûs tueruntur, non minori studio quam quæ manifestissi-

mē vera sunt dogmata : quæ condonari debet Galeno rerum quarundam ignoratio , in hujus temporis Medicis supinam arguit in eā quam profitentur arte negligentiam.

OPINIO SECUNDA.

Statuit causam Apoplexiae in compressione basis cerebri & principii nervorum.

SECUNDA opinio est eorum , qui statuunt spirituum influxu , per vasorum compressionem impedito , Apoplexiā induci : qui tamen omnes in modo generationis , & parte affectā non consentiunt . Alii enim afferunt cum Fernelio l. 5. c. 3. de partium morbis in hoc affectu pituitam confertim affluentem , aut quidvis aliud , comprimere retis admirabilis arterias , per quas spiritus ex corde in cerebri ventriculos influit . Idem Fernelius l. 2. de abditis rerum causis duas insignes refert Apoplectorum Historias , quæ ad hanc investigationem alicujus erunt utilitatis . *Cūm* , inquit , aliquando vidissim virum viribus integrum , sinistri oculi ictu vehementiore , repente attonitum corruisse , moxque motu ac sensu privari , cum spiritu difficiili ac stertore , & cum alii fortis Apoplexiæ indicis , cumque nec venæ sectione , nec alia potuisse ratione servari , quin horis duodecim interiret , mortis causam investigatione dignam putavi . Discenso apertoque capite neque ossa , neque meningum , neque substantie cerebri

quidquam confractum divulsum ve, sed dumta-
xas interiores oculi venas contusionis vi dirrup-
tas animadvertis, è quibus sanguis cochlear-
ium duorum mensurâ in cerebri basim proculue-
rat, qui concretus arterias eas obstringebat, que
retiformem contextum consciunt, & que illuc
in cerebri ventriculos propagatae, choroidem al-
terum constituant. Cerebri autem ventriculi pro-
fus illæsi inanesque cernebantur. Hinc edictus,
alterum, qui citra causam externam Apoplexiâ
extinctus esset, dissecare visum est, in quo hu-
mor crassus & viscosus similiter ad contextum
retiformem inventus est, cerebri ventriculus nec
oppletus nec obstruclis. Hinc ego ratiocinatus con-
sentaneum putavi, iis arteriis vel obstruclis vel
compressis Apoplexiâ gigni, quod tum cerebrum
nihil spiritus è corde per subjectas arterias recipiat
sitque necesse illius motum sensumque perire.
Quidam hæc opinor animadvertis rectè dixit
fieri Apoplexiâ interceptis viis quæ sunt cere-
bro & cordi communes.

Alii cum Platero opinantur in Apoplexiâ
spirituum in organa motus & sensus influxum
impediri per compressionem, non arteriarum,
sed nervorum in basi calvariae : cum scilicet
vel ab humoribus frigidis & humectare ido-
neis, diurno influxu ita cerebrum irrigatur,
ut magna ejus moles mollior laxiorque facta
subito disfluat, ac subsidat, nervorumque prin-
cipium in basi calvariae à cerebro prodiens pre-
mat, & spiritui animali transitum p̄aecludat:
vel cum ventriculos cerebri pituita subito
adimpleat, ut non quidem obstruat, sed eodem
modo cerebri basim gravet ac comprimat, &
spiritibus animalibus viam intercipiat. Id ex

CAPUT IV.

25

eo manifestum fieri existimant, quod s̄pē eō fūni, qui Caro aut Apoplexiā exticti sunt, cerebrum humore pituitoso oppletum reperitur, quodque ita affectis ille humor copiosius per os effunditur. Simili n̄rvorum compressione per cerebri collapsum gigni putant Apoplexiā à casu vel iētu vehementi, vel per sanguinem ad cerebri basim, effusum & concretum, ruptis concussionis impetu cerebri venis aut arteriis debilioribus, sanguis enim concretus ferē semper reperitur in basi cerebri eorum qui ejusmodi Apoplexiā intereunt.

Apoplexiā quæ consequitur vulnus æneā fistulā infictum, plumbeā glande in cerebro hærente, vel cūm cerebrum sagittā transfigitur, referunt aliqui in n̄rvorum compressionem. Eodem modo excitatis in cerebro aut circa cerebrum tumoribus eamdem affectionem induci existimant v. g. tumente humorum affluxu glandulā pituitariā arterias carotides in basi cerebri comprimi, & sanguinis ad cerebrum fluxum, vasorum angustiā prohiberi sic posset dici vesiculas illas sero limpidissimo distentas, quæ in cerebri ventriculis aliquando reperiuntur, nervos comprehendendo Apoplexiæ causas esse: à dispositione inflammatoria non raro id effici creditur. Earum omnium causarum vis ad s̄evissimum hunc affectum producendum videtur satis manifesta, ex eo quod quibus casu vel iētu calvaria ita diffingitur, & ad interiora ita propellitur ut cerebrum comprimat, ii statim mūti fiunt. Verū illæ omnes causæ sunt sigillatim expendendæ examine accuratiore, ne inconsideratè videantur aut probari aut rejici.

C

Ac primò quidem quod attinet ad glandes plumbeas, sagittas, & similia ad interiora cerebri adusta, ibique herentia, ea nullatenus esse sufficientem Apoplexiæ causam statim patet consideranti in Apoplexiâ animales omnes functiones aboleri, quod fieri minimè potest, nisi nervi omnes compressione ita occludantur, ut ferè ornis spiritibus per eos commicatus denegetur, quod glandes & sagittæ cerebro infixe & similia ob parvitatem præstare minimè possunt, cùm longè latèque diffusæ sint nervorum in cerebro fibræ, nisi glandes & similia medullæ spinalis caudici infigentur. Quod dictum est de glande plumbea, sagittâ, & similibus, dici potest de vesiculis memoratis sero plenis, de calculis, de concretionibus ossieis, quæ aliquando in cerebri ventriculis reperiuntur, & similibus. Dubitari posset num glandula pituitaria humorum affluxu tumens ita possit carotides comprimere, ut sanguinis fluxum ad cerebrum omnino prohibeat. Verum vix posset illa glandula in tantam molem augeri, & carotides violenter ados comprimere, ut nullus pateat sanguini exitus ad cerebrum. Et quamvis eo loci arteriæ comprimerentur, non tamen cerebrum sanguinis vestigali omnino fraudaretur, cùm possit sanguis per arterias vertebrales totum cerebrum irrigare, & sufficientem spirituum animalium copiam suppeditare, ita ut si languescant functiones animales, certè non aboleantur. Sunt enim arteriæ in cerebro valvulis destitutæ & ita inosculatae ac connexæ, ut si, unâ exceptâ, reliquæ omnes occluderentur, qui per illam adyicitur sanguis in has omnes distribuatur,

& eò connex cerebri partes iriigentur. Præterquam quod ex vasorum structurā ita necessariò fieri à priori demonstratur, id etiam à posteriori evincitur ex Historiā quam refert VVillius, cujusdam tabe perempti, cuius cadavere aperto, reperit arterias carotidem & vertebralem lateris dexteri superato cranio ossreas esse & impervias: nec tamen agiotans morbo attonito obnoxius unquam fuerat. Unde ait VVillius *in dubium revocari posse virum sanguis proprius quareundam arteriarum compressionem à cerebro ex: lufus Apoplexiā aliquando paret.* Certe in defectū sanguinis aliquando referuntur Apoplectica symptoma, quæ melius in ejus multitudinem in cerebrum effusam referri deberent. Sic VVepferus abolitionē functionum animalium in iis qui suspendio extinti videntur, nec tamen extinti sunt, contingere afferit, quia arteriis valida funis constrictione compressis, sanguinis ad cerebrum fluxus prohibetur. Verū præterquam quod impossibile est, ut arteriæ vertebrales comprimantur funis illa constrictione, ipsæ carotides non possunt ita facile comprimi, ut omnino occludantur, cùm in profundo delitescant, & sint venis longè duriores ac magis aptæ ad resistendum pressioni, quam venæ. Quapropter magis vero consentaneum est dicere in iis, qui suspendio suffocantur venis jugularibus funis valida constrictione compressis occlusisque, & sanguinis ad cor refluxu prohibito, cerebrum obrui sanguine, cuius rei non levis dicitur conjectura, ex eo quod in strangulatis facies & reliquæ circa caput partes sapè sanguine extra vasa effuso livescant.

Ex memorata cerebri arteriarum structura facilè est conciliare maximè oppositas Hippocratis & Galeni opinones , aut potius rationum & experimentorum , quibus stabiliuntur, robur infringere. Docet enim Hippocrates occlusis arteriis carotidibus altum soporem obrepere , & animalia motu & sensu privata jactare. Hippocratis sententiam confirmant experimenta à solertissimis anatomicis facta , qui ligatis carotidibus arteriis , memorata symptomata observarunt. Contra vero Galenus asserti variis & repetitis saepius experimentis sibi compertum esse , ligatis carotidibus arteriis , nullum excitari soporem , & animalia quibus ligantur ejusmodi arteriæ , functiones omnes animales obire.

Proculdubio ea animalia , quæ ex carotidum constrictione sopore profundo corripiuntur , angustiores habent arterias vertebrales , quæ latiores sunt in iis , quibus soporosum nullum symptomata accedit : ita ut certò statui non posse , ligatis carotidibus , soporem futurum , vel non futurum. Tumores itaque glandulæ pituitariae , non possunt omnem sanguinis ad cerebrum affluxum prohibere , nec proinde Apoplexiā inducere. Quod de tumore glandulæ pituitariae , & de glande plumbea dictum est , intelligi potest de vescicis supra memoratis.

Accuratiore examine opus est ad evolvendas difficultates circa compressionem , quæ fieri à pituita copia in ventriculis vel ad basim cerebri exundante creditur ; variae enim & verosimillimæ pro sententiis oppositis rationes militant. Compressionem suadent quæ jam memoravi excrementa pituitosa reperta in cerebro mul-

orum, qui Apoplexia extinti sunt. Ab ejusmodi humoribus nullam fieri in cerebro nervorum compressionem evinci videtur, ex variis hydrocephalorum Historiis, quarum maxime insignis est ea, quam refert Vesalius de fabrica corporis humani l. 7. c. 5. his verbis.
Augustae Vindelicorum. puillæ biennis caput immensibus plus minus septem ita increverat, ut nullum viri unquam viderim, quod non mole ipsi cederet. Fuitque is offellus, quem veteres hydrocephalum vocarunt, ab aquâ, quæ in capite afferatur sif simque colligitur. Quamquam ea non inter calvariam & exterius eam succingentem membraram, aut intem (ubi alias aquam reperiri medicorum libri docent) huic puellæ fuerit collecta: verum in ipsius cerebri cavitate, adeoque in dextro & sinistro illius ventriculis: quorum caritas amplius quoque ita increverat, ipsumque cerebrum ita exiens fuit, ut novem fere aquæ libras continuerint. Ad hæc ut cerebrum in capitis vertice, membranae quasi modo erat tenui, & quoddammodo continuum cum suâ renai membranâ corpus, ita quoque calvaria fuit prorsus membranæ, tanquam dum taxat sede ossa, quanta calvaria puellæ erat amplitudo, priusquam caput exita modum increceret: eâ fere ratione quâ in nuper natu pueris, frons os, & verticis ossa constare cernimus ubi illa aliquoquin mutuò sunt contermina, & in admodum pueris, insigni intervallo amplitudineque visuntur membranæ. Cerebellum interim cerebri quo universa basis, secundum naturam habebant, uti & nervorum productiones, dein nullis prorsus sedibus, quam in cerebri ventriculus adeo atque dixi aduersum aquam reperi, & puella ad

mortem usque sensibus omnibus integrè est usus : & quoties caput , cùm illam paucis ante mortem diebus conspexi , ab astantibus movebatur , & non nihil , quantumvis etiam leviter , erigebatur , gravis illicò tussis pueræ molesta fuit , cum difficitate respiratione , & totius faciei miro rubore , sanguinisque suffusione , & lachrymarum preventio . Reliquo corpore mediocriter habuit : et si laxis infirmisque , sed non resolutis tamen fuerit articulis , neque presenti etiam insigni macie , aut etiam seroso in membris tumore , aut morbi comitialis aut tremoris alicujus notis . Fecur cùm paulò post mortem spectaretur , subpallidum & non nihil naturali alias jecore contractius durius que occurrit : liene interim maximo & molli conspicuo , perinde ac si jecoris vices aliquando obivisset : adeo ut cum presentibus Medicis nihil aquè admiratus fuerim , ac tantam aquæ vim in cerebri ventriculis absque majoribus symptomatis suis collectam . VVepferus ex Tulpæ observatione . l . i . c . 24 . refert Historiam non absimilem de puer quinquenni integræ mentis munia obeunte , qui ut conjiciebat intra cerebri ventriculos quinque aquæ libras continuit , nam sequacem cerebri medullam adeo fuisse distentam scribit , ut instar alicujus crassioris membranæ adhæresceret undique arcuatæ dissolutorum ossium circumferentia , quod non nisi sero ventriculis inclusò fieri potuisse.

Illæ duæ Historiæ funditus evertunt duas illas , quas supra rejici sententias , quarum altera statuit spiritus animales in ventriculis cerebri generari : altera non aliam admittit Apoplexiæ causam , quam corundem obstru-

ctionem. Et omnibus bene perpensis illæ eædem Historiæ eam , quam jam expendimus sententiam non minus videntur convellere. Verum antequam examen illius aggrediar , non abs re erit aliquot Apoplecticorum , qui à sanguine cerebrum comprimente in hunc affectum incidisse creduntur , Historias referre ex VVepfero Medico clarissimo , qui Apoplecticorum symptomata summa diligentia obseruavit , & in dissectis cadaverum cerebris , eorum causas pro sua solertia quæsivit. Illæ observationes ad eorum omnium , quæ ad Apoplexiæ spectant , investigationem & inventiōnem viam indicabunt , seu morbi causa inquiratur , seu idonea ad illam propugnandam remedia perpendantur. Si ex accuratis , & multis , & variis ejusmodi observationibus hypotheses in Medicina conderentur , non ex iis quæ magnis viris aliquando exciderunt , aut ex iis quæ ex præconceptis falsis opinionibus deducuntur , incertæ ac dubiæ adeo non essent medicorum circa morborum causas opiniones , non adeo incerta & dubia medendi ratio , ac tandem non adeo esset apud plerosque in contemptu Medicina. Referente itaque VVepfero in Historia prima Apoplecticorum , Juvenis ætatis scilicet quadraginta annorum , habitu corporis gracili , capillis flavis & crassis præditus , ingenio pollens ; honestis parentibus , patre scilicet consule prognatus , Kenzinga-Brisgoius : ob communem Germaniæ calamitatem in juvenute varia passus fuerat , in primis truciulentam famis tyrannidem an. 1634. quæ malis ipsum coegerit etiam iis vesci , quæ natura ceu venenum alias horrere solet . Post

„ varia tandem discrimina Reinovii factus cubi-
„ cularius præfulus monasterii illius loci , parum
„ comedebat , vino largius indulgebat. Ad iram
„ erat paulo pronior , non tamen rixarum amans.
„ Aliquoties in illo monasterio podagrâ vexa-
„ tus est à qua , per asnum & amplius ante obi-
„ tum , immunis fuit : seu ope Medicamento-
„ rum clanculum usurpatorum , seu naturæ im-
„ potentia non valentis humores ad articulos
„ protrudere. Hinc tussi molestissima vexabat ,
„ quæ podagræ suppressæ tribuebatur , & phty-
„ seos suspicionem movebat. Verum adhibitis
„ remediis idoneis tussis cessavit & æger com-
„ modè se habuit , si herniam intestinalem ex-
„ cipias , quam tussis violenta effecerat. Juve-
„ nis ille , inquit VVepferus , an. 1655. 7 die
„ Novemb. postquam præfuli sacra peragenti
„ adstitit , in conclave suum se consueto more
„ contulit. Cùm fortè fortuna ipsum famulorum
„ quidam convenire voluisse , reperit ipsum hu-
„ mi postratum , ad vociferationes surdum , ad
„ vellicationes & corporis concussions , instar
„ trunci , stupidum. Accurritur , infunditur aqua
„ Apoplectica , atque alia , ex iis , quæ ad ma-
„ num erant tentantur , sed omnia frustra. Ac-
„ cersor & ego : cùm post bihorium adventassem ,
„ vidi illum ex pallore livescentem , sensibus
„ omnibus & motu animali orbatum , sola res-
„piratione , primùm satis ordinata , excepta : &
„ nisi respirantem vidisse , primo intuitu li-
„ pothymia , vel omnino syncope affectum di-
„ xisse , adeo exanguis facies erat , & livebant
„ extrema , & cum naribus ad tactum perfrigebat
„ Pulsus primò validus , magnus , celer , & mox
„ debilior , minor & crebrior , respiratio quoque

laboriosior; mox inæqualis evasit, ac sæpè " penitus cæsatura videbatur. Nullum genus " congruorum remediorum omisi, venam tamen " in debili & brevi exspiraturo tundere non au- " sus fui. Hora decima antemeridiana motu " quodam convulsivo totum corpus concurie- " batur, plurimumque sputi albi, viscidi, lenti " ex ore emanabat, nihil verò cruoris. Hinc " magis magisque vires labascere, ac extrema " amplius frigesceri cæperunt. Hora prima po- " meridiana ejusdem diei vivere desit. Statim " ac morbo correptus fuit, plurimum fæcum ni- " grarum per alvum excrevit, quod vino cui- " dam chalybeato tribui, de quo tum temporis, " nescio ex cuius empyrici consilio, aut quem ob- " finem, singulis manè & vesperi cyathum epo- " tare solebat. Caput demortui aperui. Remoto " cranio, ac discessa dura menynge plurimum " cruoris effluxit ex spatio quod inter eam & " tenuem menyngem satis capax est, copiösè " præter naturam undique & undique eò effu- " sum: neque enim solùm circa basim cerebri " cruor stagnavit, sed & ad verticem usque, & " ad anteriora & posteriora pertigit: quin etiam " intra anfractus, quotquot fere cerebri sunt, se " insinuavit. Ventriculis detectis, reperi & illos " omnes cruento adimpletos, nec quartò quidem " excepto, quorum laterales prope basim quasi " laceri, ac si nimio cruento distenti rimas egis- " sent. Cruoris extravasati quantitatēm duarum " librarum pondus superare haud difficulter di- " vinare potui. Toto cerebro, ventriculis & su- " perficie, à nimio & grumoſo sanguine conta- " minatis, ulteriùs nihil obscrvare, nec vel ru- " ptam venam aut arteriam deprehendere valui. "

„ Hoc tamen certum est nullam causam violen-
 „ tam externam , sive ictum , sive casum , tantæ
 „ rupturæ vasorum sanguiferorum præcessisse ,
 „ cum derafis capillis & ablata cute ne mini-
 „ mum quidem contusionis alicujus vestigium
 „ apparuerit .

Historia secunda . Barbara Tuberin septua-
 „ genariæ vicinior totum ferè vitæ cursum in-
 „ famulitio consumpsit , ac jam senex desponsa-
 „ ta utcumque vitam toleravit . Vidua in noso-
 „ dochium recepta fuit . Habitu corporis erat
 „ mediocri & quantum mihi constat , non mul-
 „ tūm morbis conflictabatur , nisi quod ab ali-
 „ quot annis visus ipsi inimiui cœperit , quo
 „ quandoque tantūm non penitus privabatur ,
 „ quem tamen brevi , citra ferè Medicam opem ,
 „ aliqua ex parte recuperabat , protinus recru-
 „ descente malo ; nunquam autem cœca omnino
 „ evasit . In utroque oculo manifesta suffusio-
 „ nis exordia conspici poterant . Jam ab ali-
 „ quot mensibus Apoplexiæ prodromi in ea ab-
 „ adstantibus animadversi sunt , dum subinde lin-
 „ gua titubavit , mox tamen hoc loquelæ vitio
 „ cessante . Anno 1657. 29. Januarii , 10. à ple-
 „ nilunio die , horâ tertiarâ promeridianâ dum ,
 „ ut rebantur , sana cum sociis fila trahebat , su-
 „ bitò sermonis usum perdidit , atque inclinare
 „ corpus visa est . Mox ab ancillis in lectum ducta
 „ fuit ; incessu illo observatum est adhuc dextrâ
 „ lateris pedem illam movisse , manum ad caput
 „ sustulisse , atque verba quædam , sed haud in-
 „ telligibilia protulisse : statim tamen omnem
 „ sensum & motum animalem amisit , permanen-
 „ tibus respiratione (quæ tamen paulo post cum
 „ sternore fiebat) pulsu & faciei colore rubi-

cundo. Remedia pauca adhibita , cùm nihil amplius à primo insultu deglutire valuerit. Eodem die horā sextā pomeridianā expiravit. Altero die post meridiem cum Cl. Dn. D. Hærdero collega meo honoratissimo & harum rerum studiofissimo caput aperui : ollâ ablatâ orbiculatim duram menyngem medium discidi , corpus falciforme à crista galli liberavi , ac laterales sinus dissecui : hinc reclinatō ad latus cerebrō , omnia nervorum paria , arterias carotides prope infundibulum , infundibulum ipsum , arterias vertebrales , ubi in occipite emergunt , ac denique medullam oblongatam , in ipso orificio magno occipitis , abscidi atque ita cerebrum undique ab omnibus vinculis liberum totum extraxi , quò penitus subiti casus proximam causam perscrutari valerem. Exempto cerebro duram meningem ei adhuc incumbentem levavi : apparuit pars dextra cerebri superior ac posterior inferior non tam ad basim usque , & anterior frontem versus tota sanguine suffusa. Cerebrum ibidem molle erat , & humor quidam in eo fluctuans manifestè attactu deprehendi poterat ; in extendo hoc in latere rimam egit , ex quâ prominuit grumus sanguinis nigerrimus , nucis myristicæ magnitudine : digito immisso , sensim cultello rimam dilatavi , inveni cavitatem amplam ad frontem ferè antrorum , sursum ad corpus ferè falciforme & sinum tertium , posteriora versus ultra cerebri dimidium , ac deorsum etiam ultra dimidium dilatatum. Longitudo hujus cavitatis octo , latitudo quatuor , profunditas duas cum semisse uncias superavit. Continuit grumum sanguinis ovum gallina-

„ ceum æquantem , præter alios minores glu-
 „ mos & sanguinem fluitantem pondere uncia-
 „ rum circiter octo , vel integræ ferè libræ . Ven-
 „ triculum lateralem primo intuitu opinati su-
 „ mus : verùm accuratiūs inquirendo invenimus
 „ cavitatem hanc non esse ventriculum , vel ejus
 „ portionem aliquam , sed peculiarem & præter-
 „ naturalem à sanguine extra vasa effuso for-
 „ matam , & quidem ex rupto ramo aliquo ,
 „ sobole insignis rami arteriæ carotidis anterio-
 „ ris , qui postquam nervos opticos transcedit ,
 „ in parte anteriore & lateralī cerebri notabi-
 „ lem anfractum ingreditur , ac non procul ab
 „ exortu in plurimos ramos scinditur , qui inter
 „ omnes cerebri anfractus medios incedunt ,
 „ quandoque eorum superficiem scandunt mox
 „ descensuri , ac ulterius per medios anfractus
 „ sursum ad corpus falciforme , ferè in minutissi-
 „ simos subdivisi surculos ; ambulaturi : horum
 „ etiam non pauci , nec uno in loco manifeste
 „ cerebri substantiam subeunt ; & quidem hujus
 „ arteriæ ramos unum vel plures hoc in loco
 „ ruptos fuisse clarè & sine dubio cognoscere
 „ potuimus . Nam dum illius progressuni in eo
 „ latere investigavimus , primarium ramum ejus-
 „ que surculos tum in principio , tum in cum-
 „ eto reliquo incessu , vacuum omnino sanguine
 „ invenimus , secus ac se habebant arteriæ ca-
 „ teræ omnes , tum in parte oppositâ , tum &
 „ posteriores in hoc latere , & anteriores qua-
 „ dam non ab hoc ramo profectæ . Præterea
 „ ubicumque incedebat hæc anterior lateralis
 „ arteria , ejusque rami , grumi sanguinis ob-
 „ viam facti sunt sàpe pertinaciter arteriis ad-
 „ hærentes , idque tam latè , & altè , quam ha-
 „ arteria

arteriæ disperguntur. Ruptâ itaque unâ atque alterâ harum arteriarum & sanguine intra anfractum profundiorem effuso novi semper sanguinis appulsi, ut unda impellitur undâ, magis magisque spatium anfractus dilatatum fuit, atque dum ab irruente sanguine perpetuo pulsi, humilior anfractuum superficies depre- sa, aliorum interstitium tenerum molle & sanguinis impetui cedens perruptum fuit, in hanc amplitudinem facile excrevit, non secus ac in aneurismate fit: nisi quod citius in cerebro talis cavitas à sanguine irruente, quam in qua vis aliâ parte, ob ejus mollitatem conficiatur. Superficies anfractuum superius integra permanit, id cavente piâ matre eos colligando & quasi uniendo. Nec basis hujus cavitatis perrupta fuit, testo seu fornice ventriculi dextri medulloso, & tenaciore existente quam anfractuum interstitium, quod flaccidius est ex cortice cerebri confectum. In toto spatio illo, quod inter piam & duram matrem est, nullus humor ullibi, nec etiam in basi vel occipite occurrit. Ventriculus dexter undique integer fuit: vix tantum serî suberuenti continuit, quantum dimidium nucis juglandis putamen caperet. In posteriore & imâ ejus parte plexui choroideo hydatis parva adhæsit; sinister omnino vacuus fuit: in plexus choroidei medio ibidem calculum gypscum, candi- dum, asperum & inæqualem seminis carvi magnitudine invenimus, alias, in utrâque ple- xus parte, seminis milii & majore magnitu- dine dispersos vidimus. In tertio ventriculo grumulum sanguinis fabæ magnitudine inve- nimus. Glandula pinealis non accurate praæ-

rat canali è tertio in quartum ventriculum
 aperto, forsitan quodd ob tumoris hujus, seu
 aneurismatis cerebri magnitudinem, sursum
 aliquantulum, cum quarto sinu rapta fuerit:
 in principio hujus canalis parietes ejus paulu-
 lū sero suberuento tingebantur. Verum quartus
 ventriculus mundissimus erat, nec vel mini-
 mam in eo labem animadvertisimus. Omnes
 quatuor crassæ meningis sinus vacui erant à
 pituitosis corporibus, nec ullo in alio vase
 cerebri ea vidimus. In sinistro cerebri latere
 ne minimum quidem sanguinis grumosi vel al-
 terius rei præter naturam vestigium occurrit.
 Adeo ut hoc aneurisma ad Apoplexiā pro-
 ducentiam sufficerit. Carotis interna utrinque
 ad latera glandulæ pituitariæ incedens, tum
 ante tum post perforationem duræ matris, la-
 minâ osseâ & tenerâ incrustabatur.

Historia tertia. Anna Maltherin è pago
 Loninga habitu corporis mediocriter carnosò
 prædicta vitam à primâ infantiâ vixit rusti-
 cam, pauperculæ omnes operæ rusticæ sub-
 eundæ erant, etiam gravissimæ, quæ in vineis,
 colendis, ab utroque sexu eò loci peraguntur,
 aliquot prolium mater fuit, hinc senior facta
 ad obstetricis munus péragendum ordinata
 est. Crebro sanguinem tam venæ sectione,
 quam scarificatione malo nostrorum more per-
 fudit. An verò & quibus morbis afflita
 fuerit toto vitæ curriculo fœmina hæc ab ad-
 stantibus intelligere non potui: præterquam
 quod jam vetulæ incessus difficilior fuerit
 Anno 1655. 13. Mensis Julii circa vesperam
 domo, ad vicina pago dumeta, sarmenta col-
 lectura egressa est: cā nocte à suis desiderata

quæsita , sed non inventa fuit, sequenti die jux-
ta sepem in temporis sinistri medio leviusculè
vulnerata , & mortua reperta est. Ut indaga-
retur an morte , à manu violentâ , illatâ inter-
fisset , vocatus fui. Detectâ itaque cute in
tempore sinistro inveni vulnus vix cutim tran-
fisse , & temporalem musculum parum in su-
perficie attigisse. Ablato musculo temporali ,
os ad sensum integrum erat. Hinc cranium
sustulii. Dissectâ dura matre , neque serum ne-
que sanguis in spatio , quod inter utramque
est occurrit , neque vel minima macula in in-
teriorē partē ossis temporis , vel in dura ma-
tre contigua , eo in latere , ubi vulnus accepit ,
apparuit. Adeo ut mortis repentinæ causam
vulneri huic tribuere nullatenus potuerim.
Mox elevato & non nihil inclinato cerebro ,
omnia sanguine suffusa comparuerunt : quæ
ut rectius viderem , nervos dextri lateris ab-
cidi. Hinc accuratiū conspexi totam basim
cerebri quaquaversum cruro subductam ; ef-
fuso illo intra piam matrem , & substantiam
cerebri. Sugillatio hæc diffundebatur antor-
sum ultra nervos opticos , retrosum usque ad
foramen sacrum sub medulla oblongata , & ad
latus ejus utrunque in ambobus cerebri late-
ribus , etiam intra anfractus longè latèque spe-
ctari poterat ; maximè vero ecchymosis in dex-
tro latere , parte scilicet vulneti oppositâ ultra
dimidium cerebri , intra gyrorum hiatus , &
per superficiem eorum emicuit. Circa orifi-
cium magnum in occipite intra duram & piam
matrem , etiam aliquid sanguinis grumosi in-
veni. Omnes ventriculi sero flavescente sta-
gnabant , cui innatabat grumus sanguinis in

„ tertio ventriculo fabæ magnitudine. Aliquot
 „ hydatides parvulas plexus choroidei adnatas
 „ vidi; glandulæ hujus plexus manifestè turgi-
 „ dulæ & duræ erant. Cor in dextro ventriculo
 „ replebatur copioso & grumoso sanguine: nec
 „ finister ab eo vacuus erat. Pulmones aëre di-
 „ stenti totam pectoris cavitatem occupabant,
 „ ut videri potuisset potius inspirationem ulti-
 „ mum vitæ actum, quam expirationem fuisse.
 „ In cæteris partibus imi & medii ventris nihil
 „ notatu dignum deprehendi.

Historia quarta. Jacobus Neutinger. 50. cir-
 „ citer annos habens temperie totius ad cali-
 „ dam & siccam vergens, coloris fusci: habitu
 „ corporis utcunque carnosus erat, capilli nigri
 „ & crassi ac rari, dimidiumque caput juniori
 „ adhuc calvities deturpabat, ad iram vehemen-
 „ tiorem proclivis erat. Pauper victum & ami-
 „ etum duris laboribus, præcipue viticultria
 „ acquisivit. Multum ipsi usum cum Baccho
 „ fuisse, gutta rosacea, quæ faciem feedabat,
 „ fidem facit. Quibus morbis toto vitæ tempo-
 „ re afflictus fuerit, ut de homine ignoto, refer-
 „ re impossibile est. Quantum mihi constat,
 „ ab aliquot mensibus, sœvâ cardialgia exeru-
 „ ciabatur, ob quam & meâ operâ usus est,
 „ quæ purgantibus, & stomachum robotantibus
 „ cessavit: brevi tamen ob pravam victus ratio-
 „ nem, fame & pauperie etiam noxia imperan-
 „ te rediit. Aliquot septimanis ante obitum cru-
 „ delissima cephalalgia totum caput, frontem
 „ præcipue & occiput afflixit, à quâ ipsi nec
 „ mora nec requies, Fastidivit omnia Medica-
 „ menta. Extrinsecus quedam, muliercularum
 „ suauis, applicita fuerunt. Præ dolore quandoque

amens erat , ut quidquid vel faceret vcl diceret non raro nesciret. Tribus septimanis ante mortem cæcus omnino evasit , nullo vitio extinsecus in utroque oculo apparente , verâ scilicet gutta serena excæcatus. Doloris quidem saevitia in capite aliquantulum tum temporis remisit , at remansit aliqua anxietas , ob quam corpus hinc inde jactitabat , nec procul dubio mente æger , causam hujus volutationis per lectum revelare valuit , medicamenta plura adhibita , sed serò , ideoque sine successu ; quantumtuordecim diebus ante fatalem diem lectum permingere cœpit. Paucis diebus post hanc calamitatem nova excepit , paralysis scilicet pedis dextri , quam sequuta paulo post & sinistri ; quatriduo ante obitum Apoplexiâ sorti tactus fuit. Jacuit sine omni sensu & motu animali , nulloque ingenio excitari potuit. Totis his ultimis diebus largiter sudavit. Per integrum diem cum stertore respiravit : quandiu decubuit febris expers fuit. Die 11. Februarii an. 1656. vitam cum morte commutavit. Altero die cranium aperui : fauciâ durâ meningê fluxit serum pallidum spicci coloris , cum impetu quodam , non secus ac venâ medianâ cubiti sectâ sanguis erumpit , & quidem tantâ copiâ , ut cyathi aliquor unciarum capaces , eo impleri potuissent. Hoc serum maxima ex parte colligebatur in spatio , quod inter duram & piam matrem est , quod mihi amplius & capiaceus esse videbatur quam naturaliter existere solet , sero præ nimiâ copiâ duram matrem undiquaque , ubi nullum obstaculum inhibebat , expandente , ac cerebrum cerebellumque deprimente. Quin etiam seri plurimum intra

» piam matrem ac cerebrum & cerebellum con-
 » tinebatur, unde tota cerebri & cerebelli su-
 » perficies, tam gyri, quam , divulsis gyris , an-
 » fractus , ceu gelatinâ quaquaversum obserf vi-
 » debantur, quâ cultello lâsâ , serum extillavit
 » syncerum simile fere illi , quod inter duram
 » & piam matrem cumulatum fuit. Imò ipsam
 » substantiam cerebri & cerebelli plurimum seri
 » imbibisse clarissimè cognoscere potui , nam
 » summopere utrumque flaccidum & molle erat,
 » ut instar ferè pultis leviculo attactu disslove-
 » retur , ita tamen ut non diffueret , prout ve-
 » tulæ apud Cl. Plateram contigit cui pultis
 » forma cerebrum emanavit. Nam,citra attactum,
 » & cerebrum & cerebellum ablatâ quoque pi-
 » matre , figuram & antiquos terminos aliquo-
 » modo servabant. Tota cerebri externa facies
 » pallida , vasaque sanguinica tantum non omni-
 » no exanguia erant : ablatâ portione cerebri ,
 » raræ sanguineæ maculæ pullularunt. In omni-
 » bus etiam ventriculis serum redundavit. Mu-
 » cum nullum vidi obturantem orificium seu
 » canalem patulum è tertio in quartum ventri-
 » culum. Verùm presso cerebello plurimum seri
 » in tertium ventriculum regurgitavit. Plexus
 » choroideus torus erat luridus , & sanguine ferè
 » privatus , quamplurimis nodulis varicosis sub-
 » duriusculis præditus. Abscissâ medullâ oblögata
 » prope orificium magnum,elevatisque cerebro &
 » cerebello , non nihil declivi posito capite ,
 » plurimum seri ex ostio illo prosiliuit , ut non
 » dubitarim totam quoque fistulam sacram co-
 » repicetam fuisse , adeo ut non vererer mor-
 » bum hunc hydropem cerebri appellitare, Hac
 » VVepferus.

Ad ea quæ in mox relatis Apoplecticorum Historiis sunt enarrata attenti, jam accuratius compressionis nervorum examen instituamus, inquiramusque utrum ea possit Apoplexiā inducere. Certè quæ de hydrocephalis dicta sunt, contrarium manifestò evincere videntur, cùm tanta serī quantitas in ventriculorum cerebri cavitatibus collecta fuerit, ut sensim cerebrum comprimendo, illud ad membranæ exilitatem redegerit, atque ipsis etiam ossibus craniī emollitis, aut eorum compage solutā, totum caput in mollem ingentem dilataverit, quod arguit quanta fuerit compressionis vis, quin tamen ullum Apoplecticum symptomā intulerit.

Dicet aliquis memoratam serī collectiōnem contigisse in primā ætate, cùm ossa craniī adhuc tenera, impellenti præ quantitate sero, obſequuntur facile, eoque facilius, quò suturarum cohæfione nondum valde firmæ, ossa levi de causâ ab invicem divelluntur: quibus sit ut cerebrum nullam in infantibus a sero intra cranium collecto patiatur compressionis violentiam. Qui ita loquuntur non tam de veritate invenienda sunt solliciti, quam de querendis effugiis quibuscumque, quibus caueant, ne ejus, quam tuentur, sententiae fallitas demonstretur: eaque de causâ non advertunt, ut in infantibus ossa teneriora sunt, ita cerebrum esse mollius, ac proinde dispositum, ut à levi causâ compressione atteratur, dissolvatur, aut laceretur: in adultioribus vero cerebrum utpote firmius & durius, validioribus agentibus resistere. Præterea tantum abest ut craniī molles impedit ne cerebrum

à sero in ventriculis contento, ac eos distende
nte comprimatur, ut plurimum conferat ad
validiorem ejusdem compressionem, & lacera
tionem, ut satis patet ex duabus Historiis su
pra citatis, cùm in utroque ægrotante cere
brum, quod in hominibus est adeo crassum,
compressionis vi ad membranæ tenuitatem
fuerit redactum, quod nunquam contigisset,
si durius cranium, impellenti ad exteriora sero,
potuisset resistere, ut mox patebit, sententia
quam propugno veritate demonstratā. Sic enim
omnē præcludetur effugium adversariis, si
quis forte existimet, aut ut quocunque modo
suum errorem occultet, existimare se fingat,
asseratque ex speciali accidenti in memoratis
hydrocephalis functiones animales læsas non
fuisse, quas tamen humoris copia in ventri
culis cerebri contenta abolere, aut lēdere po
test, & necessariò lēdit, nisi aliquod ad sit im
pedimentum. Demonstrandum est itaque ab
humoribus intra cranium effusis cerebrum
non posse ita comprimi, ut cursus spirituum
animalium intercipiatur. Etenim supponatur
humor vel in ventriculis cerebri contentus,
vel circa cerebrum effusus, eā quantitate quam
potest capere tum ventriculorum cavitas, tum
quodcumque spatiū in cranii cavitate va
cuum; novus adhuc humor continuò impel
latur, qua vi potest impelli, per arterias motu
cordis. His positis: quid fieri? Procul dubio
cerebrum undique æqualiter pressum illæsam
suam servabit figuram: ut enim vi compres
sionis cerebrum contereretur, deberent partes
loco quem occupant pelli; sed quo abibunt?
Cùm fiat undique pressio, cùm nullus detur

locus, ad quem partium pressarum aliquæ secedere possint, necesse est, ut omnes in pristino situ perseverent, nec possint inde dimoveri. Hinc sit, ut urinatores quamvis ingenti aquæ incumbentis pondere premantur, quia æqualiter undique premuntur, nullam patiantur partium divulsionem, nullum sentiant dolorem ne premi quidem se percipient. Si quacunque causâ humor in solis ventriculis contineatur, nec possit per rimas satis latas ad cerebri exteriora diffundi, expandetur procul dubio cerebrum, donec ipsum inter & cranium spatium nullum relinquatur vacuum, quod ut fiat non opus est magna cerebri dilatatione, si cerebrum molem debitam, & ossa craniis naturalem habeant consistentiam. Cùm cerebrum in ambitu firmiore cranio fulciatur, non magis patietur ab humore in ventriculis contento, quam si esset etiam per totum ambitum circumclusus, ut urinator nihil patitur incommodi ab aquarum pressione, seu eâ undique involvatur, seu in parte aliquâ corporis, quâ terræ innititur, ab aquâ non prematur, quia quâ parte terræ innititur in ea æquè ac in aliis premitur. Si quacunque arte pars aliqua à pressione liberaretur, in eam magno impetu humores detruderentur, unde conserqueretur partis insignis tensio, dolor, aut etiam particularum divulsio, si in reliquo corpore esset valida compressio, ut contingit in applicatione cucurbitularum, prout pars cucurbitulis subjecta magis aut minus ab aëris pressione liberatur. Ex his patet quod supra asseruit majus periculum impendere à compressione, sero intra ventriculos contento, cùm cranium

mollius nullum aut parvum exhibet cerebro fulcimentum: tunc enim metuenda est partium ab invicem divulsio & laceratio: quæ cùm in memoratis ægrotantibus non contigerit, multò minus metuenda est in iis, quibus cranium solidius est & firmius. Ex urinatoribus manifestum sit corpus aliquod nihil pati detrimenti à quacunque pressione, dummodo ea æqualis sit in toto ambitu: Sed adhuc à pressione satis magnâ, etiam si in toto non fiat ambitu, modo multæ partes æqualiter à corporibus undique prementibus fulciantur, nihil detrimenti contingere corporibus non admodum firmis, patet ex magnis uvarum acervis, inter quas, quæ infimum locum occupant, licet superiorum pondus sustineant, manent integræ, nec ulla tenus conteruntur quia singulæ à circumstantibus uvulis fulciuntur variis in locis, quæ tamen statim disrumperentur, si in duabus partibus è diametro oppositis æqualis pressionis vis adhiberetur. Dicet aliquis cùm medulla spinalis non impleat illam in quâ continetur cavitatem, cùm nervorum è dura matre involuerum sit laxius, in ea spatia propelli posse mollem cerebri substantiam, si ab insigni seri copia vehementius urgeatur. Respondeo primo piam meningem arctè adeò complecti, & fulcire totum cerebrum, medullam spinali, & minores nervos, ut minimè metuendum sit, quod objicitur periculum. Respondeo secundo, si exigua sit seri copia, debilem esse quæ sit ab illo compressionem. Si vero serum sit copiosius atque adeò validè quaquaversus nitatur, faciliter ipsum in medullæ fistulam defluit per vias satis patentes, quam cerebri

substantiam cō propellit.

Præter ea , quæ attuli urinatorum & uivarum exempla , innumera alia passim occurunt , quibus evincitur , à pressione , cùm æqualiter sit , in universam corporis alicujus superficiem , non tantam inferri vim , quantam vulgo creditur. Circa cerebrum hallucinatio facile contingit ob summam illius mollitiem , quā docemur quām parūm firma sit partium insensilium quibus constat , inter se cohæsio , ex quā vulgo inferunt singularum insensilium particularum parem esse mollitem , cùm tamen innumera sint corpora mollitie non vulgariter prædicta , quorum non solum elementa , sed etiam partes sensibiles consistentiæ sunt non mediocris , imo validè adeò sint inter se connexæ ut noīnisi magnā vi adhibitā discerpan- tur. Facile dissolvitur substantia cerebri , quia particulæ illius insensiles per exiguum suæ superficiei partem se contingunt , nec protensis hinc inde fibrillis multū implicantur. Talem decet esse illius partis substantiam , per quam , ad functiones & excellentiores , & magis necessarias obeundas , tenuissima spirituum substantia continuò percolatur. Nec enim in nervis sunt spirituum ductus conspicui , sed iī per spongiosam medullam tamquam per philtrum influunt in organa sensus & motus , quod ut facile fiat insensibilibus particulis quædam inest soliditas , cuius vi compressioni quidem facile resistitur , non divulsioni , cohesionis defectu. Hinc sit ut à compressione etiam levi , si fiat in unica tantum parte cerebrum disolvatur.

Objicetur forsan adhuc , etiam si substantia

cerebri æquali in ambitu factâ compressione atteri non possit, idem dici minimè posse de vasis sanguineis, quæ flaccida cùm sint à circumstantibus corporibus in ipsa nitentibus, facile fiunt angustiora, aliquando etiam omnino occluduntur. Respondeo, à duro corpore, tumore v. g. vasa sanguinea occludi & sanguinis per illa motum intercipi posse me minimè insiciari: at parem illorum vasorum angustiam, & omnimodam occlusionem ab humoribus circumfluvis vi pressionis memoratae induci non posse contendeo. Id profectò satis demonstrant supra relatae hydrocephalorum Histogiae, demonstrat hydropicorum abdomen aquis distentum, in cuius cavitate vasa sero undique obfessa licet, sanguinem nihilominus sat facile traducunt. Et sane quantacunque copiâ serum in craniî cavitate sit cumulatum, consentaneum est, ut sanguinis per vasa motum non intercipiat, quæ enim vis serum cumulavit, est eadem quæ sanguinem & mistos ipsi humores propellendo vasa distendit: quâ vi serum intra membranas ante fuit propulsum, eadē prius sibi viam extra caput faceret, quam sanguinis per vasa motum prohiberet. Si quis advertat qua ratione vasa sanguinea sunt exterioris cum partibus vicinis connexa, statim intelliget ea non ita facile ab ambiente liquido constringi posse ut omnino occludantur, quamvis decesset internum sanguinis cum impetu pulsi fulcimentum, quo quantum eorum amplitudo patitur distenduntur, saltem arteria. Si concedamus adversariis Apoplexiā fieri à compressione, seu vasorum, seu principii nervorum, qua ratione dicent immunes esse à compressione.

CAPUT IV.

49

compressione nervos in musculos thoracis, & cor, & reliqua viscera distributos quae enim à sero fit & à pituita compressio, in omnes cerebri partes vim suam æqualiter exerceat: quomodo dicent Apoplexiā levem in paralyſim unius lateris desinere? Cūm enim humores in ventriculis cerebri contenti, aut circa ipsum effusi, in nervorum ductus aut substantiam nequeant penetrare, necesse est, cūm cerebrum à compressione liberatur, humores comprimentes in medullæ spinalis fistulam delabi, ubi totam medullam æqualiter prementes, non unius lateris, sed utriusque paralyſim efficient. Quām facilis sit ille humorum decubitus in medullæ spinalis fistulam, circa cerebrum & circa nervorum funiculos, intelliget statim quisquis advertet quām laxus sit circa cerebrum & nervos duræ meningis complexus.

Quæ dicta sunt, ad refellendam eam, quæ fit à sero, aut pituita compressionem, demonstrant impossibilem esse compressionem, quæ à sanguine extra vasa effuso fieri vulgo creditur: nec dicat aliquis validiorēm eam esse quæ fit à sanguine compressionem saltem postquam concrevit, quia coagulatione durior factus sanguis in corpora mollia adigi facilius potest eaque in parte aliqua premere aut etiam dissolvere. Ad hæc enī Respondeo sanguinem cūm ē vasis erumpit fluidū esse, suāque fluiditate in spatia in cerebro, aut circa cerebrū vacua diffundi, ac proinde cerebrum ab eo æqualiter comprimi, & sine noxa ut supra demonstratum est, aut nullatenus comprimi. Postquam verò sanguis concrevit non magis quām antea cerebrum comprimit, imò minus, quia

E

OPINIO TERTIA.

Tertia searentia est afferentium, functionum animalium in Apoplectis abolitionem dependere à denegato sanguinis ad cerebrum fluxu, vel propter arteriarum obstructionem, vel propter earundem apertioem, & inde consequentem effusionem sanguinis. Quod attinet ad profusionem sanguinis, si tanta ea sit, ut sanguinis appulso ac consequenter spirituum animalium materiā cerebrum omnino privetur, facultatis quidem animalis functiones statim cessabunt, sed simul aut prius etiam vitalis facultas concidet. Nihilominus tamen non video veram Apoplexiā esse sequuturam: nec enim quæcunque functionum animalium abolitio vera est Apoplexiā, quamvis, ut suo loco dicetur, magnæ sanguinis effusiones, ad Apoplexiā disponant, & dispositos in eam citò præcipitent. Et revera magnis vasis vulneratis, & sanguine confertim effuso, non raro homines intereunt, non modò sine Apoplexiā verā, sed etiam sine ullo symptomate Apoplectico, cùm non ante functiones animales aboleantur penitus, quam vitalibus extintis ægrotantes è vitâ decadant: unde patet effusionem sanguinis per se solam non esse causam Apoplexiæ. Quod attinet ad obstructionem arteriarum, & de illius causâ & de effectu sequuturo non levis esse potest controversia. Obstructionem à pituitâ crassâ & viscidâ fieri nonnulli contendunt: at quomodo subito cumulatur, aut subito lentorem contrahit, non

explicant , nec qui sensim eum humorem generari , sensim crassum fieri afferunt , melius docent quare sensim magis ac magis , pro vitii seu copiae seu qualitatis magnitudine functiones animales non laedit , sed subito animal prostrernit ; nec inde alia deducunt Apoplectorum symptomata. Profecto si suâ crassitate & visciditate arterias obstruit pituita , pro maiore vel minore ipsius copia , majorem vel minorem obstruendo noxam inferet , sensim functionum laesio majora ac majora suscipiet incrementa : cumque ita succreverit pituita , ut omnino obstruere arterias possit , respiratio non secus ac reliquæ functiones animales subito intercipietur. Nec dicat aliquis patentiores esse arterias capillares quæ spiritum deferrunt ad nervos respirationi dicatos , aut etiam eorum nervorum ductus esse latiores : facile enim est respondere , quod latior est via , cò faciliorum patere pituitæ viscidæ transitum , tum in arterias capillares , tum in ipsos nervos , ex quibus cum nullus detur regulus , pertinacior esset , si quæ in illis fieret , uti fieri deberet , obstructio. Ut prætermittam ex illa obstruktione omnia Apoplecticorum symptomata deduci minimè posse : pituita in vasis non est ita crassa uti vulgo creditur ; videant ejus , quam impugno , sententiæ defensores num in manifestam contradictionem incident , cum dicunt pituitam , quæ ob crassitatem Apoplexiæ causa est , è cerebro in palatum defluere , per membranam densissimam , per ossa ipsa percolari , in quibus nulla sunt foramina , ne adhibito quidem microscopio conspicua , præter ea quibus humores è cerebro in venas jugulares de-

Aflunt, per quam membranam, per quae omnia in hydrocephalis ne gutta quidem seri impeditissima extillat. Tantum abest ut pituitosorum sanguis sit crassior, ut minorem habeat quam in aliis consistentiam. Si quis ex eo quod sanguis in vasculo refrigeratus concrescit inferret eum in venis & arteriis esse crassum, sicut assertunt quidam pituitam in venis esse crassam, quia est glandulis faucium aliisque muci specie effusa, crassa est & viscidâ, aut brevi talis evadit, quam se ille præberet ridendum! Nesciunt scilicet unde crassitatem & visciditatem unde fluiditatem & tenuitatem acquirit pituita.

Aliqui existimant arterias carotides obstrui saltem aliquando ab iis corporibus, quae in vasis sanguineis & ventriculis cordis cachecticorum, aut morbis diuturnis afflictorum concrescunt, quæque pituitosa appellant, quod albida cum sint interdum est pituita crassa formari putentur. Corpora illa Polypi melius appellantur ob eam quam habent similitudinem cum tumoribus ejusdem nominis, qui non raro interiora narium infestant. Corpora illa aliquando in cordis ventriculis, aliquando in auriculis; veluti radices agunt, & per vasorum ductus se extendunt, aliquando nullibi adhaerent. Eiusmodi concreta mihi bis observare licuit in nosocomio Tolosano in duabus mulieribus, quarum altera hydrope interiit: altera cachectica, postquam sensim contabuit, tandem est vita dicescit. In utrâque hæc corpora in cordis ventriculis continebantur, nulli parti affixa, figurâ rotundâ, nuce Juglante paulo minora, colore albida, substantiâ gelatinam referentia. Polypos duos observavi Parisis in

Nofocomio Charitatis in viro annorum quinquaginta circiter, colore erant ex nigro rubicundi; alter è dextro ventriculo cordis in auriculam extendebatur, alter è ventriculo finistro in aortam: eorum latitudo erat quatuor circiter linearum, crassities unius linea^e paulò ampliùs.

V Vepferus refert, aperto cadavere mulieris, quæ postquam asthmate & cordis palpitatione diu fuerat conflictata, syncope cardiacā tandem extincta est, refert inquam, se è cordis illius finistro ventriculo extraxisse Polypum cuius ramū ulnam & ampliùs longi in aortam extendebantur. Si ejusmodi corpora in aortam ascendentem propellantur, Metaphysicè loquendo, ita possumunt illam obstruere, ut nullus pateat sanguini ad cerebrum transitus, sed non ita facilè est ut arteriæ hoc modo penitus obstruantur, ut satis patet ex eo, quod in multis reperti sunt Polypi in arterias longè protensi sine ejusmodi obstructione, & quamvis omnimoda contingeret arteriæ ascendentis obstruc^tio, abolerentur quidem functiones animales, non tamen excitaretur Apoplexia: quin potius qui ita ægrotarent syncope interirent, oppresso à sanguinis copia corde, non tamen infiior quin ad Apoplexiā valdè pronī sint ii, in quorum corde & vasis sanguineis ejusmodi fiunt concretiones, cuius dispositionis ad Apoplexiā causa dicetur inferiùs.

O P I N I O Q U A R T A.

Opinantur quartò aliqui Apoplexiæ causam esse mollitiem cerebri, cùm ejus substantia,

partium insensilium unione solutâ aut immunitâ, flaccida est & adeo parum sibi cohæret ut ferè diffuat, eam procul dubio, cerebri dispositionem intelligit Cl. Medicus Lachambre in suo commentario in aph. Hippocratis, per atoniam cerebri. Cùm ita dispositum est cerebrum proprio pondere, vel ex levi occasione in se ruit conciditque, & vasa per ipsum dispersa comprimendo viam sanguini præcludit: sic partes sphacelatæ particularum unione solutâ vix sibi cohærent. Talis videtur fuisse atonia Jacobi Neutinger supra in Historia & vetulæ Plateri, de qua ibi fit mentio: ab ejusmodi cerebri dispositione omnimodam expectari debere functionum animalium abolitionem & mortem inevitabilem incipiari nemo potest; at cerebri illa depressione, ob illam atoniā, necessariò excitari veram Apoplexiā nemo unquam dicet, nec enim inde orientur stertor, sed respiratio statim abolebitur, non secus quam aliæ functiones animales.

OPINIO QUINTA.

Sententia quinta est eorum qui asserunt inflammationem cerebri esse causam Apoplexie. Huic sententiæ favere videntur observationes, quibus compertum est in Apoplexticis sanguinem plerumque non solum in cerebri cavitates, sed etiam in ejus substantiæ interstitiis effundi, ut manifestum sit in Barbara & Anna Hist. 2. & 3. ex VVepfero. Verum si inflammationis natura spectetur, manifestum statim het, ab illo morbo expectanda esse symptomata ab Apoplexticis longè diversa, quamvis Apo-

plexiæ cerebri inflammatio facile conjunga-
tur , ut patebit ex dicendis , cùm inquiremus
veram Apoplexiæ causam sine qua hic morbus
nunquam generatur.

Omnibus itaque rite perpensis , nulla ex iis
quæ recensitæ sunt in hoc capite vera est Apo-
plexiæ causa , quamvis nulla sit , quæ vere
Apoplexiæ causæ conjungi non possit , & ad
morbi adeò perniciosi generationem , cum eā
concurrere , ut plures simul morbi hominem
facilius & citius de medio tollant. In hac in-
vestigatione errandi occasio fuit , quod maxi-
ma m partem Medici post Hippocratem ad hoc
usque sœculum negligentius morborum causas
inquisivetunt , & qui fuere diligentiores , non
ex iis , quæ observabant , aut observare pote-
rant , quid sentiendum esset statuerunt , sed
quæ vel fortuitò vel dedita operâ faciebant
experimenta in præconceptarum opinionum
probationem quocunque modo traxerunt. Aut
etiam aliquando multa se deprehendisse finxe-
runt , quæ nunquam in rerum natura fuerunt ,
& quorum etiam existentia repugnat : aut de-
nique ex iis , quæ hinc inde ex autoribus decer-
pebant , & confusè congregabant , aut ex proprio
cerebro eliciebant , nullâ habitâ ratione structu-
ræ & œconomiae corporis humani , hypotheses
chyméricas considerunt , quæ fuit absurdarum
in Medicinâ opinionum scaturigo inex-
hausta.

CAPUT V.

Quæ sit Apoplexiæ causa juxta mentem Hippocratis inquiritur.

Varii textus referuntur, in quibus de Apoplexiâ differit Hippocrates.

UT in difficillima hac investigatione assequi certius possimus mentem Hippocratis, in medium proferendi sunt textus, in quibus summus præceptor de pernicioſissimo hoc affectu differit, seu ejus causas inquirat, ſymptomatum vim expendat, & prognosim instituat, seu ex his omnibus quænam sit adhibenda medela deducat. Quarto itaque libro, de yictus ratione in morbis acutis ita habet. Ut aliquis derepentè voce privetur, venarum interceptiones faciunt, si fano hoc continget absque manifesta, aut alia forti cauſa. Venam igitur fecare oportet, in brachio dextro internam, & sanguinem detrahere, juxta habendum ac etatem, rationem ineundo, an plus aut minus oporteat. Coincidunt autem plurimis ipsis yrum hec: rubores faciei, oculorum stabilitates, digitorum in manibus diſtentiones, dentium stridores, pulsationes, maxillarum contractiones, extremitatum perfrigatio, spirituum per venas interceptiones. Cum dolores præcesserint, atra bīlis & acrum fluxionum affluxus fiunt. Dole-

extem partes internæ dum mordentur. Converse vero, & valde sicce factæ vene intenduntur, & inflammatæ effluentia attrahunt. Unde cor- rapto sanguine, & spiritibus non potentibus na- turales in ipso vias permeare, perfrigerationes fiant ex statione, & tertiges, & vocis intercep- tio, & capitis gravitas; & convulsiones, si jam ad cor aut hepatis, aut ad venam devenerint.

Hinc morbi comitiales sunt aut sensyderatis si in ambientes locos fluxiones inciderint, & spi- ritibus pertransire non potentibus ressecare facen- rint. Quare talibus, fomentis prius adhibitis venam secare oportet statim ab initio, dum ad- hac elevati sunt omnes affigentes spiritus ac flu- xiones. Facilius enim auxilium admittunt: & refectis viribus, & consideratis iudicationibus medicamentum exhibere sursum purgans, si non alleveatur: ad infernam vero alatum, si non sus- beat, infusum per clysterem adhibere.

Idem Hippocrates l. 2. de morbis textu 6. ita habet. Derepente dolor occupat caput, & statim voce privatur, ac sui impotens fit. Hic in septem diebus moritur, si non febris invase- rit. Si enim haec invaserit sanus evadir. Paro- sur autem haec, cum atra bilis ipsi in capite con- morda fluxerit: maxime in partem in qua pluri- ma sunt vene, in collum inquam ac pector. Deinde postridie sideratus fit ac impotens, san- guine nimirum perfrigerato. Et si superior eva- serit ita ut sanguis calefaciat, sive ab his que exhibentur, sive à seipso, attollatur & diffun- ditur ac moveretur, & spirationem inducit & spu- mescit & à bile separatur; & sanus evadit. Si vero superior non evaserit adhuc magis per- frigeratur. Et ubi penitus refrigerans fuerit &

58 DE APOPLEXIA
calor ex ipso defecerit ; congelatur & moritur
non perest sed moritur.

At si ex ebrietate hæc patiatur (nam & hoc contingit) isidem moritur. Hæc habet Hippocrates l. citato textu 6. at textu 8. ita loquitur. Si sideratus fiat , anteriorem capitis partem dolet , & oculus non æqualiter vides , & soporatur & venæ pulsant , & febris debilis tenet , & corporis impotentia . Hic patitur hæc , cum venæ in capite fuerint calefactæ , & calefacta pituitam in seiphas traxerint , & principium quidem morbi ex hoc sit. Anteriorem vero capiti partem ideo dolet , quod venæ in hac sint erassissimæ , & cerebrum ad anteriorem capiti partem magis situm sit , quam ad posteriorem. Et oculis ideo non vides , procumbente eò cerebro , ac inflammato. Impotentia vero ideo corpus occupant. Postquam venæ pituitam in seiphas traxerint , necesse est præ pituita frigiditatem sanguinem magis nunc sisti ac perfrigeratum esse , quam priori tempore : dum autem sanguis non moveatur , fieri non potest , ut non etiam corpus quiescat ac torpeat. Et siquidem sanguis ac reliquum corpus superarint , ita ut calefiant , homo evadis. Si vero pituita prevaluerit , sanguis magis perfrigeratur ac congelatur. Et si frigiditas ac congelatio augeant , penitus congelascit ac perfrigeratur homo , & moritur.

Eodem libro textu 21. hæc habentur. Num dixerit invadit dolor circa caput , & statim vox intercipitur , & stertit , & os hiat : & si quis ipsum vocet aut moveat , solum suspirat nihil autem intelligit , & multum mingit , & mingere se non sentit. Hic si non febris ipsum corripiat in septem diebus moritur. Si vero

corripiat plerunque sanus sit. Hujusmodi verò morbus senioribus maximè fit, & magis quam senioribus. Libro de glandulis textu 9. hæc leguntur. Cerebrum autem cladem perfert ipsum non sanum existens: sed siquidem rodatur, turbationem multam sustinet, & mens non intelligit, & cerebrum convellit ac distrahit totum hominem, qui in se ipso vocem non edit ac suffocatur. Et hæc affectio Apoplexia appellatur. Aliquando verò aeris quidem non est fluxio, sed copiosa in cerebrum irruens, ipsum affigit, & mens perturbatur, & homo circumambulat aliena cogitans, & aliena videns, perferens morbi mores, visus, risu, & peregrinis imaginationibus.

In prænotionibus coacis hæc habet Hippocrates. Torpores & sensus stupiditates præter morem contingentes, futura siderationis signum sunt. Qui ex vulnere impotentes fiunt corpore, febre quidem accedente, circa rigorem, sanantur; non autem accedente, siderati fiunt dextrâ aut sinistrâ parte. Sideratis si hæmorrhoides accedant, utile est: si verò frigiditates & torpore malum. In sideratis ex spiritus agra lations sudor accedent lethale. Rursus autem in his ipsis si febris accedat solutio fit. Siderationes de reperiente solutorio modo contingentes, febre insuper temporis progressu accedente perniciose sunt.

In aphorismis sect. 3. aph. 16. Apoplexia numeratur inter eos morbos, qui pluviosis tempestatibus fiunt. Et aphorismo. 23. inter morbos hyemales. Aph. 51. sect. 7. hæc habet Hippocrates. Quibuscumque sanis dolores de reperiente fiunt in capite, & statim voce interceptâ jacent ac stercent, in septem diebus pereunt, si

febris non apprehendat, aph. 56. sect. 6. In morbis atrabilariis periculoso decubitus, aut Apoplexiā corporis, aut convulsionem, aut insaniā, aut cæcitatem significant, aph. 57. Apoplexiæ vero maximè sunt à quadragesimo etatis anno ad sexagesimum. Aph. 40. sect. 7. Si lingua drepente impotens fiat, aut pars aliqua corporis Apoplectica, melancholicum hoc existit.

Ex iis locis perspicuum est quantam adhibere diligentiam solitus fuerit Hippocrates ad observanda ea, quæ agrotantes in quocumque morbo patiebantur symptomata, quæ corporis dispositio morbum præcedebat, quæ illum externæ causæ concitatabant, quis erat invasionis modus, quis morbi progressus, qui exitus: non in uno, sed in pluribus, tum similibus, tum dissimilibus: ut certa methodo posset & morborum causas abstrusiores detegere, & optimam curandi rationem instituere. Ex iis locis perspicuum est, quām ii sint ab Hippocrate dissimiles, qui vel unico symptome observato, de morbi naturā & causis decernunt; quo sit ut facile etiam viri solentes in gravissimos errores incident, quod semel admissos cum abjicere erubescunt, ut eos quocumque modo tueantur, ad absurdissimas hypotheses confugere cogantur. Contra vero Hippocrates suā illā methodo singula seorsim diligenter observans & accuratè perpendens, similia ac dissimilia comparans, quæ ipsis erant communia, quæ illorum erant discrimina attentè considerans, tantā prudentiā sua dogma-ta stabilivit, ut à veritatis rectā semitā aberrasse raro deprehendatur: quod nihil temere pronuntiaret, si veras aliquando morborum

aut symptomatum causas non assequebatur, ad eas proxime accedebat, ad eas inveniendas nunquam aditum aut sibi aut aliis præcludebat, utilia semper ad morborum curationem præcepta, ex observatis, deducebat.

EX DICTIS OPINIO HIPPOCRATIS INQUIRITUR.

Si jam ex iis locis inquiramus quæ fuerit sententia Hippocratis de causa Apoplexiæ, an erit aliquis qui asserat summum in Medicina dictatorem opinatum fuisse hujus sevissimi morbi causam esse ventriculorum cerebri obstructionem, vel oppletionem, aut principium nervorum in basi cerebri compressionem? Certè quæcumque adhibetur vis à solertissimo quoque, nunquam in illam sententiam trahit poterit Hippocrates, apud quem in locis citatis nulla fit mentio, neque ventriculorum cerebri, neque compressionis nervorum.

Age igitur quæ fuerit vera Hippocratis sententia de causa Apoplexiæ ejusque sede, singula accurate perpendentes, ex locis citatis elicere nitamur. Apoplexia consistit in impotentia ad motum & functionum omnium animalium abolitione, exceptâ respiratione, quæ difficilè perficitur. Qualem ex locis citatis dicemus esse illius impotentię causam? Eam profectò clare & perspicue expressisque terminis assignat Hippocrates locis citatis, ex l. 4. de dieta in morbis acutis, & ex l. 2. de morbis, stationem sanguinis. Perfrigerationes sunt, inquit ille, ex statione & vertigines & vocis intercepsio: : : : : : Hinc morbi com-

iales sunt & semisiderati, &c. l. 4. de diaz.
acut. & l. 2. de morbis textu 6. postquam Hip-
pocrates afferuit impotentiæ ad motum cau-
sam esse sanguinis stationem, ita habet. *Dum*
autem sanguis non mouetur fieri non potest, ut
non etiam corpus quiescat ac torpeat. Est enim
sanguis primum caloris naturalis, quem vo-
cant susceptivum in corpore animalium, à quo
solo & cum quo vivificus ille calor in partes
omnes diffunditur. Nec solùm motu suo cir-
culari sanguis singulas partes perluens, illis
calorem impertit, & alimenti materiam sup-
peditat, sed etiam spiritus aliosque iuccos ad
munia varia obeunda necessarios, prout cu-
jusque usus exigit, dispensat. *Unde sit ut san-*
guinis motus non possit penitus cohiberi,
quin functiones omnes statim intercipiantur:
quo certius & evidenter nihil est. Verum
quæ causa est stationis sanguinis? Eam assi-
gnat Hippocrates illius corruptionem. Unde
inquit, *corrupto sanguine & spiritibus non pa-*
tentibus naturales in ipso vias permeare, per-
frigerationes sunt ex statione, vocis interceptio,
&c. Nunquid quæcumquæ corruptio sanguini-
nis & à quacunque causâ fuerit inducta hunc
potest effectum producere? Potest proculdu-
biò hunc effectum producere, & cum necessariò
producit, si fuerit consummata; cùm
enim sanguis suam penitus formam amisi-
vit, non est amplius sanguis, sed cadaver sanguini-
nis, à quo sanguinis munia frustra expectan-
tur. Verum sūmā illa corruptio hīc minimè
designatur ab Hippocrate, cùm ea necessariò
animalibus interitum afferat, à quo aliquan-
dō Apoplectici vindicantur. Initata igitur

tantum corruptio intelligitur, quæ si multum
augeatur Cerebro & reliquis visceribus, de-
bito ad functiones obeundas subsidio, destitu-
tis, certissima est & invicta mortis causa. Il-
le autem corruptionis modus est longè aliud
ab eo, qui in putredine contingit: in quā
non modò nullum occurrit spiritibus per san-
guinem sūsis ad motus suos obeundos impe-
dimentum, cùm potius eorum augeatur impetus,
& sanguis rarescens eorum excursibus
latiores faciat seimitas. Per corruptionem igi-
tur sanguinis eam intelligit Hippocrates illius
mutationem, quā vel ipsi spiritus sunt torpi-
dores, vel sanguinis particulae magis quam
antea inter se connexæ ac cohærentes spiri-
tuum motionibus obſistunt, coarctatisque po-
ris, iisdem viam præcludunt: unde fit, ut
sanguinis particulæ nec à jam genitis spiriti-
bus in solito concitentur motus, nec ex san-
guine novi spiritus fuscitentur. Vel intelligit
mul & torporem spirituum & partium san-
guinis majorem cohæsionem, ac quietem
utrumque insinuat Hippocrates in supra cita-
to textu §. l. 2. de morbis cùm ita loquitur.
Sanguis magis perfrigeratur ac congelatur. Et si frigiditas & coagulatio augescant, penitus congelascit ac perfrigeratur homo, & moritur.
Utrumque enim necesse est contingere in con-
gelatione sanguinis, & spirituum scilicet de-
pressionem ac torporem, & partium crassiorum
quietem ac concretionem. Si enim spi-
ritus solito impetu moverentur nunquam con-
cresceret sanguis, nec sanguinis particulis na-
turalis effervescentiæ motu agitatis, subitò
possunt in bene valentibus spiritus deprimi,

& torpore affici: ut observare licet in Apoplecticis. Accidit itaque Apoplecticorum sanguini ut in vasis concrescat aliquatenus e modo, quo extra vasa effusus concrescere solet.

Ex Hippocrate itaque impotentiae ad motum in Apoplexiā causa est coagulatio sanguinis, quā fit, ut sanguis restagnet in vasis, illorum exilia oscula facile nequeat permeare, paucosque ac tandem nullos ad functiones animales obeundas spiritus cerebro latgiatur. Sed hoc non sufficit Medico, ad hujus morbi curationem, quapropter eodem ducet Hippocrate, ulteriori investigatione perscrutanda est causa, quæ sanguinis subitam coagulationem efficere potest. Eam expressis verbis exponit summus Praeceptor l. 4. de diaria in morbis acutis textu supra citato, ubi postquam dixit venarum interceptiones repentina inducere vocis privationem, interceptionis venarum causam esse afferit atram bilem. *Cum dolores præcesserint, inquit, atra bilis & acrisum fluxionum affluxus fiant. Et paulò post. Unde corruptio sanguinis & spiritibus non potensibus naturales in ipso vias permeare perfrigerationes fiant, ex statione &c.* Idem docetur l. 2. de morbis textu 6. supra citato, his verbis. *Statim voce privatur, &c. patitur autem hec sum atra bilis ipsi in capite commota fluxerit maximè in partem in qua plurime sunt vena, in collum inquam & pectus. Deinde postridit fideatus ac impotens fit, sanguine nimirum perfrigato.* Ex locis itaque citatis evincitur ex mente Hippocratis humorem melancholicum aut atrabilarium subito commotum coagulare

sanguinem cui permiscetur, ut coagulum in caseum cogit lac, in quo dissolvitur. Cum verò Hippocrates variis in locis & ex variis occasionibus de Apoplexia differens semper sibi consentiat, & nihil quod huic opinioni aduersetur proférat, nemo dubitat unquam, quin hæc fuerit opinio Hippocratis, qui non modo ex symptomatis Apoplecticorum deducit Apoplexiæ causam esse humorem melancholicum, sed etiam ex eodem humore, cum à debita mediocritate deficit, futuram Apoplexiæ prænuntiat. Quod satis testantur supra citati aphorismi, 56. sect. 6. in morbis atrabilariis periculosis decubitus, aut Apoplexiæ corporis, aut &c. significant. Aph. 57. Apoplexiæ autem maxime fiunt à quadragesimo aetatis Anno ad sexagesimum. Eâ scilicet ætate potissimum dominatu potitur melancholia, ut infra fusius demonstrabitur. Aph. 40. sect. 7. Si lingua derepente impotens fiat, aut pars aliqua corporis Apoplectica, signum est melancholicum. Suam etiam sententiam confirmat Hippocrates, proposito remedio, quo Apoplexiæ aut solvitur aut minuitur, per evacuationem sanguinis atrabilarii, seu sponte fiat, seu arte concitetur; cum in Coacis hæc habet. Sideratis si hemorrhoides accedant usile est. Hæc satis sunt ad demonstrandum, quam existimat esse causam Apoplexiæ Hippocrates quem generationis illius modum: quam vera sit illius sententia in sequenti capite fusus & à priori & à posteriori demonstrabitur.

Quæ partes afficiantur in hoc morbo declarat Hippocrates l. 2. De morbis textu 6. his verbis. Patitur autem hæc, cum area bilis

ipſi commota fluxerit: maximè in partem, in qua plurimæ sunt vene in collum inquam & pectoris. Deinde postridie sideratus fit & impotens, sanguine nimis perfrigerato. Cerebrum affici & spiritibus destitui, ob illam sanguinis coagulationem, satis intelligitur ex impotentia, & abolitione functionum animalium. Stertorem verò & respirandi difficultatem ex eadem sanguinis coagulatione dependere agnovit Hippocrates. Quippe observaverat in forti Apoplexia in qua maxima est respirandi difficultas venas in collo intumescere, unde recte inferebat pulmonis venis capillaribus obstructis, sanguinem, ejus circuitu impedito, in venis jugularibus stagnare, & latiores pulmonum venas distendere: Unde necessariò sequitur bronchiorum angustia, in summa respirationis necessitate sufficiens aëris quantitas nequeat inspirari, nisi magna conatu thorax plurimum dilatetur; cum in moderata dilatatione, ejus cavitatem impletant pulmones sanguine distenti. De quibus dicitur fusiùs sequenti capite. Satis sit ex dictis constare in Apoplexia exquisita pulmones affici & sanguinea ipsorum vasa obstrui.

Objicit aliquis Hippocratem in locis supra citatis alias afferre causas Apoplexiæ, aut stationis sanguinis, à qua proximè Apoplexia dependet, præter humorem melancholicum: loco citato de diæta in morbis acutis insinuari plethoram quæ facillimè potest venarum interceptiones efficere & motum sanguinis sistere: quæ antecedunt & subsequuntur signa plethoram manifestò indicare: ac denique medelam per sanguinis vacuationem eam de-

monstrare: Idem dicet l. 2. de morbis textu 8. Hippocratem expressis terminis afferere sanguinem congelari aliquando, quia à pituita refrigeratur; unde sequitur Apoplexia. Respondeo & plethoricos & pituitosos Apoplexiæ esse magis obnoxios, quam quibus moderata est humorum laudabilium quantitas, aut paucæ pituita sanguini permiscetur, ut clarius infra explicabitur, at à plethora, aut à pituita solis induci Apoplexiæ nego: quamvis in plethoricis & pituitosis symptomatum diversitate distingui videatur Apoplexia. Id non solius hujus morbi proprium est, sed omnibus aliis accidit, ut pro vario ægrotantium temperamento, pro varia ætate &c. varia producant symptomata, ob quorum diversitatem nemo dicet diversas esse morborum species, nec causas diversas. Plethora per se solam non posse inferre Apoplexiæ ex ipsa rei natura, & consuetis plethoræ effectis demonstratur. Ob plethoram quidem sanguis minus facilè & tardiùs suum circuitum perficit in vasis: sed ejus motus non sufflaminatur omnino: à plethora necessariò prohibetur aut saltem minuitur transpiratio, retentisque fuliginosis recrementis, quibus sanguis effervescentiam præternaturalem concipit, febris excitatur, quæ Apoplexiæ medela est interdum, ut docet Hippocrates.

Quod attinet ad Apoplexiæ à pituita inductam tamquam à causa seu totali, seu partiali seu adjutrice, advertendum est Hippocratem non appellare eos, qui illâ corripiuntur, ἀποπληγίκαις sed βλέπεις, ut eorum impotentiam distinguat à verâ & exquisitâ Apo-

plexiā. Præterea pituitam non esse pr. i.
puam Apoplexiæ causam ex eo satis insinua-
tur, quod Hippocrates doceat in eodem textu
præcedere debere venarum calefactionem; aut
ut in aliis locis citatis dicit, inflammationem
& resiccationem, ut pituita in illas attrahatur,
aut potius retineatur; nec enim pituita quæ
frigida est & humida venas calefacere potest
aut inflammare aut exsiccare. A quo depen-
deant, & in quo consistant venarum inflam-
matio, & resiccatio, exponetur capite sequen-
ti. Denique Hippocrates quarto acutorum
insinuat sanguinis stationem esse causam per-
frigerationis non contra, cum dicit perfrige-
rationes fieri ex statione sanguinis: quamvis
commotâ atrâ bile perfrigerationes per san-
guinis coagulationem citius contingent cate-
ris paribus, quando humores frigidi abun-
dant. Quare rectè hæc dicit Hippocrates.
Postquam vena pituitam in seiphas traxerint,
necessæ est præ pituitæ frigiditate sanguinem ma-
gis tunc fisti, ac perfrigeratum esse quam priori
tempore. Unde patet sanguinem ante pituitæ
in venas affluxum fisti ac perfrigerari, ac
proinde ab alia causa quam à pituita, quam-
vis pituitæ adventu aut stagnatione citius
perfrigeretur; imò ideo pituita in venis reti-
netur quia sanguis incipit coagulari, cum ipsa,
quamdiu sanguine diluitur, sit valde fluida,
ut patet ex ejus filtrationibus & percolationi-
bus per ductus exilissimos, in iis, qui pituitæ
oræssæ & viscidæ ingentem copiam expuunt,
emungunt, per sedes & urinas ejiciunt.

CAPUT VI.

Differentia Apoplexia à causa de-
sumptæ juxta doctrinam
Hippocratis.

APPOLEXIA ratione habitâ causæ à qua
dependet recte dividitur in veram ac ex-
quisitam , quam sola melancholia efficit : &
in spuriam , ad cujus generationem alii humo-
res cum melancholia aliquatenus concurrunt,
ejusque invasionem aut accelerant aut remo-
rantur , & symptomatum pro sua quicunque na-
tura , quasdam varietates inducunt. Apople-
xia ipsius iterum dividi potissimum potest in
duas species : Ad alteram efficiendam simul
concurrit plethora : alteram promovet pituita
uberius in vasis sanguineis & in toto corpore
collecta. Ita ut spectatis causarum differentiis,
ut rectè advertit prosper Martianus commen-
tario in l. 4. de diæta in morbis acutis tres
præcipue sint Apoplexiæ species , quarum po-
tissimum differentiæ sunt à Medico conside-
randæ , quia qualibet specialem postulat cu-
randi rationem : alia enim convenienter cùm
sola melancholia hunc morbum producit, alia
cùm plethora sua simul profert symptomata :
alia , cùm suas auxiliares copias melancholiæ
commodat pituita.

Advertendum est eam impotentiam , quam
efficit melancholicus humor , vel solus , vel

cum plethora , Apoplexiā simpliciter appellari ab Hippocrate : eam verò ad cujus generationem pituita concurrit speciali nomine designari , & eos qui illā impotentia conficitur appellari non ~~arrestantibus~~ sed ~~est~~ nec immerito discernere insigne speciali nomine designatur, etenim in duabus prioribus Apoplexiæ speciebus corpus statim sensu & motu privatur , qui in haec posteriore in principio adhuc conservantur ; Nam & dolor ab agitante persistit , oblique vides , etiam si nequaliter , &c.

Dicet aliquis eam Apoplexiā , quam inducit ebrietas ad nullam , illarum specierum seduci posse , ac proinde quartam speciem constituere. Respondeo hanc Apoplexiæ speciem à reliquis ~~non~~ effentiā distingui , nec ratione causæ proximæ , sed tantum ratione causa externæ & remotæ , ac proinde referendam vel ad Apoplexiā exquisitam , vel ad eam quam ex parte infert aut concitat plethora. Etenim vinum uberiū sumptum præternaturalem effervescentiam in sanguine extando humorum acrum fluxiones efficit , de quibus locis citatis loquitur Hippocrates ; qui humores acres non alii sunt à melancholia infra demonstrabitur : vel uberiorem sanguinis materiam suppeditando plethoram inducit. Quid quælibet Apoplexiæ species agendum indicet , quibus auxiliis iis indicationibus facili fieri possit , dicetur inferius.

CAPUT VII.

Vera Apoplexie causa ex antecedentibus, comitantibus, & consequentibus demonstratur.

C^LA^RE adeo ac perspicue superius demonstrata est falsitas communiorum circa Apoplexiæ causam opinionum, quas à Galeni temporibus ad hoc usque saeculum variæ Medicorum Sectæ propugnarunt, ut error latere neminem possit, qui rebus Physicis & Medicis aliqualem operam dederit. Nec minus clarè patet ex Capite quinto hujus Tractatus, quid in hac materia senserit Hippocrates, & quantum ab illius opinione distent ex quæ communiter in scholis docentur. Veturum nec detectis veterum ac recentiorum erroribus circa causam Apoplexiæ statim fit manifestum, quid hanc affectionem inducat, nec propositâ Hippocratis sententiâ, quamvis ex veram assignet Apoplexiæ causam, conquiescit animus Medici scientiæ avidi, qui non aliorum suasu, sed certâ agendorum notitiâ convenientia ægrotantibus auxilia præscribit: non enim qui aliis credit, sed qui scit tantum in quibusvis circumstantiis, quis sit servandus modus agnoscit, & remedia tum morbis & morborum causis, tum ægrotantium viribus proportionata administrat; reliqui aut ancipi-

72 DE APOPLEXIA

tes præ timideitate, ubi maximè audendum, nihil agunt; aut temerarii ibi sunt audacieores, ubi nihil est agendum. Quapropter diligenter nobis erit investiganda Apoplexiæ causa, eoque major erit adhibenda cura in hac inquisitione, quò maximam partem hominum mentes non solum error occupavit, sed etiam propter famam & autoritatem eorum, qui falsis in hac materia opinionibus patrocinantur, præclusus videtur aditus veritatis splendori. Conabor itaque Apoplexiæ causam deducere ab iis quæ hanc affectionem antecedunt, ab iis quæ illam comitantur & consequuntur, hoc est à priori & à posteriori demonstrare.

Non inquiram hic an spirituum animalium influxus in organa sensus & motus intercipiantur in Apoplecticis, hoc enim manifestum est ex resolutione totius corporis, si excipiantur respirationis instrumenta, quæ non modo suam functionem obeunt, sed etiam majori eam vehementi perficiunt in Apoplecticis, quam in sanis. Summa hinc erit cura, ut demonstrem, quæ sit diversorum adeo symptomatum causa & quomodo eadem in toto ferè corpore motus ac sensus abolitionem inducat, & simul partibus respirationi perficiendæ dicatis videatur majorem vim adjicere: nec enim sine vehementi conatu magna fieri potest & violenta respiratio, nec sine magna irritatione & ejusdem perceptione ad magnam Thoracis dilatationem animal concitari.

Hæc quidem sunt præcipua symptomata, in quæ semper intueri debet, qui Apoplexiæ causam inquirit, sed non sola. Modus præterea invasionis est considerandus, ad evitandam hallucin

hallucinationem, ne putet aliquis ea omnia, quæ possunt alicujus partis resolutionem inducere, etiam Apoplexiæ causam esse posse; hoc enim specialiter observatur in verâ Apoplexiâ, quod subita sit illius invasio. Considerandæ sunt etiam quæ antecedunt dispositiones, & quæ iis accidunt qui ab Apoplexia superstites evadunt; sed potissimum ea, quæ in cadaveribus eorum, qui hoc morbo extinti sunt, observantur: in iis enim se maximè produnt certissima inditia causæ, quæ morbum adeo perniciosum excitavit. Nec minus confert ad clarioriem hujus materiæ elucidationem consideratio eorum quæ juvant Apoplecticos aut iisdem sunt infensa: si quid inde deductum sit, quod cum his omnibus optimè consentiat, & cum nullo repugnet, id censendum erit indubitate hujus morbi causa.

APOPLEXIÆ CAUSA INQUIRITUR

EX ANTECEDENTIBUS.

Age igitur hanc investigationem aggrediamur duce Hippocrate, inquiramusque quæ sic communis memoratorum omnia phænomenon causa, quam progressa Apoplecticorum dispositio producere potest aut designare. Hippocrates observavit melancholicos esse maximè obnoxios Apoplexiæ, frequentique experientia edoctus scripsit Aphorismum 56. sect. 6. his verbis. *Atrabilariis morbis periculosi humorum decubitus, aut siderationem corporis, aut convulsionem, aut insaniam, aut cæcitatem significant.* In morbis atrabilariis cuius humoris metuendus decubitus? Profecto nullius, quam bilis

atram. Hujus Aphorismi doctrina confirmatur Aphorismo, qui proximè sequitur, qui sic habet. *Siderationes verò maximè fiunt eâ ætate, quæ est ab anno quadragesimo ad sexagesimum:* cuius Aphorismi veritas experientiâ quotidiana confirmatur, cum eâ ætate frequentissime siderationes contingent, extra illam ratiō. Illi verò ætate melancholiā obtinere dominum, & copiâ aut virtute aut utrâque potenterem esse, quam in reliquis ætatibus inficiare nemo potest: id enim satis patet ex severiore quæ tunc magis placet vivendi ratione, & seruis occupationibus, in quibus homines libenterius occupantur, & quod eâ ætate frequentius in melancholicum morbum incident, à ætate necesse est sanguinem magis ad constitutionem melancholicam vergere, quam reliquis: consumptis enim spiritibus & partibus mollioribus sanguinis in prægressis ætatibus, sanguis fit biliosior fervidiorque ac acrior, tandemque ad acidum vergit, calore sensim deficiente, & acido olim volatili & maxime fugaci crassiore & magis fixo facto. Accidit enim sanguini ferè idem quod vino *cum calor in principio moderatus sensim effervescendo evadit intensior, sed qui spiritum dissipatione, aut factâ quocumque modo illorum alteratione rursus remittit, cum vinum acorem contrahit.* Nec hic mutationum terminus: acetum enim progressu temporis in liquorem aquosum & vappam mutatur, quod ipsi interdum vino contingit antequam mutetur in acetum. Summa vini senectus autem est illa in vappam mutatio, in quâ nihil nisi vini cadaver superest omnis virtutis & activi-

tatis expers. Vero simile est parem fieri mutationem in eorum sanguine , qui solo senio contabescunt aut è vitâ decadunt.

Pro certo adeo & indubitate habebat Hippocrates solam melancholiā esse unicam propriè dictam Apoplexiæ causam , ut ex symptomatis Apoplecticis inferat melancholiā ; unde data est occasio Aphorismo 40. sect. 4. Si subito lingua impotens fiat , aut pars aliqua corporis flueat , signum est melancholicum . Sola enim melancholia , subito sanguinem & spiritus figendo , potest subito ejusmodi affectiones producere. Ad hæc accedit quod Epileptici facile in Apoplexiā incident , & observante Prospéro Martiano quæ Apoplexiæ paroxysmis epilepticis succedunt , eæ sunt maximè lethales ; & epilepsia vera causa juxta doctrinam Hippocratis est melancholia , cuius sententia veritas demonstratur ex eo quod melancholici facile fiant epileptici , & epileptici melancholici.

Objici posset febrem quartanam quæ soboles est melancholiæ sanare convulsiones & alios magnos morbos , & eos quos invadit ab iis morbis præservare , si nondum iis fucientati , ut variis in locis docet Hippocrates ; & proinde ex temperamento melancholico , aut dispositione ad melancholiā morbum , deduci minimè posse propensionem ad Epilepsiam , aut ad Apoplexiā : unde inferri posse videtur eos affectus non à melancholia dependere , sed ab alio humore , qui aliqualem habet societatem cum melancholia , qui que melancholiā fervorem concipiente , aut putrescente attenuatur , resolvitur , evacuatque , cujusmodi est pituis.

ta aut serum: iis enim humoribus abundant melancholici, eaque de causa sunt magni spumatores. Respondeo melancholiam peccare posse 1 quantitate, 2 qualitate modis innumeris, ratione loci in quo cumulatur, aut vitiatur, aut quocumque modo alteratur, agitaturque & prout hoc aut illo modo peccat varios producere morbos, varia excitare symptomata. Quando melancholia in infimo ventre cumulatur ibique statis intervallis putreficit, febrem quartanam efficit. (Ut omissam controversiam de parte, in qua melancholia colligitur in quartanariis, quartanae focium in toto infimo ventre constituo, quia in illo manifeste produnt prima horroris febrilis indicia.) Cum in Paroxysmo quartanæ melancholia sanguinem affunditur, illius expansionem impedit ac calorem imminuit, donec bile uberioris in sanguinem effusâ æstus vehementissimus concutatur. Illâ bilis effusione & violentâ sanguinem effervescentiam non modo humor melancholicus, qui Paroxysmo initium dedit, subigit, infringiturque & tandem à sanguinis massa separatur evacuaturque per sudores potissimum, sed etiam humor melancholicus per totam massam sanguineam fusus, aut in parte aliqua hærens alteratur, & ex parte evacuat, sive que sit ut post repetitas Paroxysmii febris effervescentias sanguis à vitiato aut excedente humore melancholico expurgatus sensim materiali temperamento & constitutioni restituatur. Unde patet qua ratione morbus ab humore melancholico productus possit per accidentem esse causa sanationis & sui ipsius & aliorum morborum, ab humore melancholico.

dependentium , seu idem humor **similia** , seu diversa vitia contraxerit , seu has illasve sedes occupaverit . Quod dictum est de humore me- lancholico intelligi debet de aliis humoribus , & de dispositionibus variis , quas possunt exci- tare in partibus in quibus cumulantur , quæ omnia febris quartana potest seu per se seu per accidens emendare . Respondeo 2 non à qui- buscumque excedentis aut qualitate peccantis humoris melancholici vitiis , aut ab eodem , in quacumque parte suas vires exerat , quosvis morbos excitari : sed alios à quantitate depen- dere , alios à vitiis qualitatis , alios ab eodem humorē specialiter produci ; ob excitatam in parte aliqua pravam dispositionem . Ea de cau- sa ad Apoplexiā non sufficit , quod melan- cholia acidior facta sanguinem possit coagulare , sed præterea requiritur ut potissimum in capite , & in vasis sanguineis pulmonum vires suas exerat ; si enim in aliis locis colligatur , & quocumque modo in illis fervorem concipiatur , aut commoveatur , pro partium varietate varios morbos producit : in infimo ventre per certa intervalla effervescent febrem quartanam , in cerebro collecta cum moderata aci- ditate melancholiā morbum , in eodem aci- dior aut acerbior aut austerior facta , si com- moveatur , Apoplexiā excitabit . Ex his in- telligitur quare Hippocrates locis supra cita- tis docet eos fieri Apoplecticos , quibus atrabilis in capite commota fluit in eam partem , in qua plurimæ sunt venæ , in collum scilicet & pectus . Ex dictis etiam patet Aphorismum 56. sect. 6. intelligendum esse non de quibusli- bet morbis quos humor melancholicus pro-

ducere potest; sed de iis tantum quibus cerebrum specialiter afficitur; qualis est melancholia morbus.

Objici potest 2 Apoplexiā & Epilepsiam ab eadem causa dependere nullatenus posse, cùm illarum affectionum symptomata magnam partem sint ē diametro opposita: in Apoplexia enim totum corpus resolvitur & functiones omnes animales abolentur, exceptā respiratio-
ne, in Epilepsia verò totū corpus violenter concutitur præter voluntatem: in illo morbo cessat spirituum animalium influxus, in hoc spiritus influunt inordinate, & cum impetu in organa motus: & quamvis aphonia sensus que lœsio sint communia utriusque affectui symptomata, non tamen in utraque eodem modo concitantur. Respondeo idem in genere agens effectus diversos posse producere, ratione sua virtutis, quæ modo major, modo minor esse potest: 2 ratione diversitatis patientis: 3 ratione aliorum, quæ vel ad eundem effectum producendum concurrunt, vel ejusdem productionem impediunt, vel quacumque ratione in modo operandi agens determinant. Ea de causa humor melancholicus in capite commutus si multus sit, & insigni polleat aciditatem spectatā quantitate & vi salis volatilis per sanguinem fassū, statim sanguinem figit: & impeditā spirituum generationē, aut eorum influxu prohibito infert resolutionē: si verò abundat quidem & sit acidior quam debeat esse secundam naturam, sed sales sanguinis volatiles suā quantitate & qualitate superiores, à quacumque causa humor melancholicus in capite commoveatur, vividior excitabitur effervescentia.

quam consequetur vehementior spirituum impetus & inordinatus eorum influxus in organa motus , & prout variæ contingent in hac effervescentia & humorum agitatione inordinaciones , varia symptomata infestabunt ægrotantem. In utroque casu prout variii humores in sanguinis massam effunduntur , aut , qui jam erant in ea contenti , in actum ducuntur , variæ apparent vicissitudines , ita ut aliquando Apoplexia sit motibus convulsivis interpolata , & aliquando Epilepticorum motus convulsivi in lethalem Apoplexiæ desinant quæ omnia ex dicendis fiunt clariora.

APOPLEXIÆ CAUSA INQUIRITUR EX COMITANTIBUS.

Apoplexiæ comitantia symptomata & illius signa pathognomonica sunt , subita functionum animalium abolitio , excepto motu musculorum respirationi inservientium , cordis , ac partium in abdomen contentarum ; & respiratio difficultis.

Functionum animalium abolitio induci potest ab omnibus causis , quæ possunt influxum spirituum animalium in nervorum ductus impidire , seu id faciant spiritus alio avertendo , seu eorum generationem prohibendo , seu nervos comprimendo , seu eorum ductus obstruendo , sed resolutio repentina non potest à qualcumque causa interna produci , (de internis enim causis tantum hic agitur) quod attinet ad comprimentia jam demonstratum est capite 4 ea non posse neque subitam , neque universalē corporis resolutionem inducere. Ex

dicitis in codem capite patet prohibitum spirituum ad cerebrum affluxum , aut influxum in nervos à quacumque causa , posse quidem universalem resolutionem inducere , sed non omnia Apoplexiæ symptomata , nec enim resolutionem universalem aut sensus & motus abolitionem statim sequitur difficultis respiratio & stertor . Videndum itaque est utrum ea , quam ex antecedenti dispositione deduximus Apoplexiæ causa , melancholia scilicet , possit pathognomonica Apoplexiæ symptomata producere . Præcipua melanco'liæ qualitas à qua potissimum ipsius activitas dependet est aciditas , vi cuius , quando est moderata , moderatam sanguini consistentiam largitur , immodi-
cam vero quando copiâ excedit & auctâ aciditate facta est acrior , maximè si conjunctam habeat austritatem , aut acerbitatem , tunc enim vim insignem habet figendi sanguinem . Testatur enīm experientia sanguinem affuso acido non modo extra vasa facilius concrescere , & quod ab ipso secretum est serum instar aquæ liquidum & limpidum affusione acidi pari modo coagulari , sed etiam intra vasa si acidi liquores infundantur , easdem excitari coagulationes . Cùm itaque acida vim illam obtineant , manifestum est melancholiā in aliqua parte collectam & factam acidiorē , si inde dimoveatur & in massam sanguinis confluat , posse in illo coagulationem excitare , spirituum motum sufflaminare , eorumque generationem prohibere . Si illa melancholiæ acidioris collectio & in sanguinem effusio contingat in cerebro , necesse est in illo spirituum generationem & influxum minui aut omnino

prohiberi: prout major aut minor fuerit humoris multitudo; major aut minor ejusdem aciditas, aut austерitas.

Sed dicet aliquis; quomodo fieri potest illa melancholiae, in capite collectio, quomodo fieri potest illius effusio in sanguinem? Respondeo melancholiae illam collectionem in cerebro fieri eadem aut non multum absimili ratione quam sit in partibus infimi ventris in iis qui quartanam febre laborant, indeque seu ob suam, seu ob partium in quibus haeret dispositionem sponte, ut aiunt, effundi; seu a causa aliqua externa inde extrudi. Ut modus quo illa collectio & effusio melancholiæ fieri potest in cerebro aliquatenus, & quantum rei natura patitur explicetur, advertendum est cinereum cerebri corticem esse corpus glandulis minutissimis compactum, quæ ad id munus sunt destinatae, ut è sanguine ad ipsas per arterias delato spiritus animales eliciant, transfundantque in nervorum fibras; cuius rei certissima deducitur conjectura ex contextu fibrarum nervearum, quæ ad ejusmodi glandulas destinunt. Certissimum enim est spiritus influere in nervos per eorum extrema, & ex ea parte deduci, in cuius substantiam sanguis copiosior affunditur, quæque apta est spiritus a sanguine separare, quod munus denegari non potest cerebri cortici, cum in toto reliquo corpore glandulae sint destinatae ad varios luccos è sanguine separandos, prout varii sunt usus partium in quas ejusmodi succi deferuntur. Cum itaque munus cerebri sit inservire functionibus animalibus per spiritus animales, eos a memoratis corticis glandulis accipit; nec

enim illos potest aliunde excipere , ut jam demonstratum est.

Certius nihil est quām corpora glandulosa esse maximē apta ut in ipsis variorum humorū collectiones & corruptiones fiant ; id enim manifeste deducitur ex vasorum in ipsis multitudine , exilitate & complicatione , quibus omnibus sit , ut qui per illa vasa transcolantur humores in ipsis facilē hæreant , & morā diuturnā ; pro variā partis naturā , aut acquisitiā dispositione labem multiplicem contrahant , acescant , concrecent , putrescant , &c. Frequentes glandularum tumores adhuc à posteriori manifestum illud faciunt apud eos , qui glandularum structuram ignorant . Si itaque cerebri glandulæ succi melancholici aciditatem semel fuerint imbutæ , ipsis idem accidit , quod vasis , in quibus asservatum fuit acetum ; quibus quodecumque infunditur acescit , similiter qui in illis glandulis retinetur humor temporis progressu fit acidior , ac tandem vel ob quantitatē exundans , vel insighi acrimoniasibi viam faciens , vel sanguinis agitatione , aut capitatis concussione , aut aliter inde excusus , cùm sanguini affunditur , ipsum coagulat , ac figit , stationem ipsius inducit , ut ait Hippocrates , ac tandem resolutionem corporis fieri enim non potest ut docet idem Hippocrates , cùm sanguis non movetur , ut corpus non quiescat , ac torpeat .

Cùm itaque acidior melancholia in capite in sanguinem influxerit , eos effectus necessariò producit maiores , minores , pro illius quantitate , & aciditatis intensione . Sed quō fluet semel è suis sedibus dejecta melancholia ?

Per vias proculdubio consuetas, venas scilicet jugulares, deferetur ad cor & pulmones, ibique similes efficiet sanguinis coagulationes, quibus variae in vasis pulmonum sanguineis obstructiones fiant. Ex illis obstructionibus sequentur eorumdem vasorum saltem arteriarum oppletio ac distensio & bronchiorum compressio ac angustia, ut aëris sufficiens quantitas nequeat inspirari, nisi magna fiat & cum magno conatu thoracis dilatatio. Difficiliore reddito sanguinis per pulmones transitu, istardius fluit qui è jugularibus descendit, eas distendit, ac tandem ibi concrescit. In ipsis etiam cordis ventriculis concretiones fiunt, & si sanguinis transitus omnino intercipiatur, vehementiore ejus impulsu aliquando vasa rumpentur, ut aliquando in Apoplecticis accidere infra docebitur. Ecce Apoplexiæ symptomata pathognomonica à melancholia deducta: quæcum à nulla alia causa possint omnia concitari, manifestum est solam melancholiæ esse causam Apoplexiæ. Hinc patet quām bene Hippocrates, ex abolitione functionum animalium, respiratione difficiili, & ex venarum jugularium intumescientia, quæ observaverat in Apoplecticis, pronunciavit hunc morbum excitari cùm bilis atra in capite commota fluxerit in eam partem in qua plurimæ sunt venæ in collum inquam & pectus.

Objicit aliquis respirationem in Apoplecticis non esse magnam ob debilitatem, sed tantum frequentem. Adjicit aliis respirationem non esse magnam, quia nulla est illius magnitudinis necessitas, cùm nullus sit caloris excessus in Apoplecticis, qui interdum fri-

gesunt. R. priorem objectionem posse condonari iis qui nunquam viderunt Apoplecticos, sed ab aliis tantum didicerunt eos, qui ita afficiuntur motu ac sensu privari: constat enim in forti Apoplexia respirationem fieri cum vehementi conatu, & magnâ thoracis dilatatione, quod ex eo adhuc magis patet, quod ægrotantes inspirando totum thoracem tanta vi dilatent, ut scapulas elevent, & necesse sit eos erigere, ut melius spirent. Quod attinet ad respirationis necessitatem, eam nullam esse videri posset iis, qui solum respirationis usum statuunt solam sanguinis refrigerationem; sed aliae irritationis ad respirationem causæ hinc possent assignari, unam aut alteram afferam pulmonum opulationem, tensionis & gravitatis sensum, quibus incitantur Apoplectici ad respirationem, eâ enim facilior redditur sanguinis transitus per pulmones, obmutatum vasorum situm, quo fit, ut sanguis è dextro cordis ventriculo in pulmones, & è pulmonibus in sinistrum cordis ventriculum facilius exoneretur. Quare in abolitione universalis functionum animalium conservatur sensus & motus partium respirationi inservientium, dicetur inferiùs.

Ex dictis patet virtus respirationis & magnitudinem lesionis in functionibus animalibus designare an melancholia magis suas vires exercat in cerebro, an in pulmone. Si enim universalis adsit resolutio, cum leví difficultate respirandi, indicatur cerebrum præcipue nisi facultatis animalis abolitio se extendat thoracem, quod pulsus debilitas aliqua symptomata designabunt. Si vero magnus &

stator, resolutio verò minor, significatur maiorem in pulmonibus fieri sanguinis coagulationem, quam in cerebro.

Objici posset adhuc ab ira interdum Apoplexiæ concitari, cum tanquam in ira bilis moveatur, cuius agitatio & in sanguinem effusio deberet esse medela Apoplexiæ, si hæc affectio dependet à melancholia, bilis enim abundat alkali, quod acidorum vires infringit. Respondeo bilem infringere acidorum vires si sic superior, ut acida bilis acimoniam temperant; si verò pauca tantum sic bilis, aut debilis, potest sua agitatione quiescentem melancholiæ copiosiorem & acidioriem in systema concitare, ut ab ea effusa non modo bilis ipsa infringatur, sed etiam sajes volatiles fusi per sanguinem, cui melancholia permiscetur, quem proinde coagulat. Pari modo concusso capitus commovendo melancholiæ, que quiescebat, potest esse causa occasionalis Apoplexiæ; per se enī spœcata carnis concusso nihil aliud potest, quam cerebræ compressionem & meatus occlusionem, ac sic resolutiorem inducere, nunquam tamen stertorem, nisi accedat melancholiæ in ventriculos cordis, aut vasa pulmonis effusio.

APOPLEXIÆ CAUSA INQUIRITUR EX CONSEQUENTIBUS.

Evidenter nihil est, quam repentinam sanguinis concretionem inducere repentinam ejusdem stationem, ac repentinam spirituum immunditionem aut etiam extinctionem: ex quibus, si in cerebro & in pulmonibus sunt, ne-

cessariò symptomata veræ Apoplexiæ excitantur. Evidentius etiam nihil est, quām repentinam sanguinis concretionem à nulla causa excitari posse, quām ab humorum acidorum effusione, & cūni aciditas sit per se proprietas solius melancholiæ, certum est nullum alium esse humorem in corpore humano, qui possit repentinam illam concretionem sanguinis efficer, præter melancholiam. Manifestum est etiam modum, quo id sit, à me propositum esse rationi maximè consentaneum. A nulla alia causa interna eos effectus posse produci, satis patet ex dictis, & clariùs adhuc patebit ex dicendis inferiùs: hīc tantùm à posteriori stabilitam doctrinam confirmabimus, ut qui ratione non possunt, iensum testimonio, & iis, quæ Medici præstantissimi summâ diligentia observarunt, quæque ipsi observare poterunt, veram sententiam amplecti compellantur coganturque.

Carolus Fracassatus Clarissimus Medicus & Anatomicus Pisanus in Dissertatione de cerebro refert, jubente Serenissimo Magno Duce Etruriæ, ut Apoplexiæ causa inquireretur, sectis cadaveribus eorum, qui hoc morbo moriebantur, se invenisse sanguinem concretum in ventriculis cordis & in vasis sanguineis pulmonum eo modo, quo solet concrescere, cū aquæ fortes in venas infunduntur. Variis autem modis fiunt ejusmodi concretiones, præ varia aquarum fortium natura, & sanguinis constitutione, aliàs enim totus sanguis in una molem coagulatur, aliàs in moleculas concicit, quæ nullam habent inter se cohesionem. Quocumque modo fiunt sanguinis illæ concre-

tiones , necesse est , vasorum sanguineorum ramos capillares obstrui , spiritus extingui , & supra memorata symptomata excitari , si in cerebro & pulmonibus sanguis concrescat.

Hic advertere oportet quod notat idem Fratassatus venas ad quas aquæ fortes infusæ pertingunt disrumpi , quod accidit partim , vel quia aciditatis afflatu ita constringuntur , ut quem continent sanguinem ægrè complectantur , qui forte primo aquarum fortium appulsi & in ipso coagulationis principio in molem majorem expanditur : vel quia , denegato transitu sanguini impellenti & impulso , debiliores fasciæ venæ scinduntur à copia qua distenduntur.

In Ephemeridibus eruditorum Germaniæ Joannes Jacobus Greissel refert , quotquot aperuit cadavera Apoplecticorum , se in cordis ventriculis aut in cerebro , aut in utrisque reperisse concretiones polyposas : Vepferus Historiâ tertîâ supra relatâ reperit sanguinem grumosum non solum in cerebro sed etiam in ventriculis cordis . Et quod maximè notatum dignum est , Pulmones distenti totam pectoris caritatem occupabant , ut videri potuisses , inquit Vepferus , inspirationem ultimum vitæ aëlum , posuimus quam expirationem fuisse , in quo plurimum hallucinatur vir Clarissimus : nec enim Pulmones erant aëre distenti , ut putavit , quem proprio pondere collapsi , saltem post apertio nem thoracis per patentem viam foras expulissent : Sed erant oppleti sanguine , cui in vasa sanguinea semel illapso non patebat ad regressum via , ut satis constat ex cordis & vasorum structura . Sanguinem in Pulmonibus stagnasse

88 DE APOPLEXIA

eosque implevisse videtur manifestum ex eo, quod notat Vesperus in eadem Historia, scilicet sinistrum cordis ventriculum iussé grumolo sanguine refertum, ut potuerit redempti ē Pulmonibus viant præcludere. In Historia secunda, maxima cerebri portio apparuit suffusa sanguine: quid simile accidit in prima.

Ex dictis patet quare aliquando in Apoplexicis thoracis cavitas reperta fuit sanguine plena: quia scilicet obstruatis vasis capillatis aut ipso sinistro cordis ventriculo, sanguis magno impetu protritus, quam non invenerat in suis canalibus, vi sibi fecerat viam ut ē Pulmonibus excederet, sieque totam thoracis cavitatem impleverat. Ex iisdem etiam deducitur quare interdum in ventriculis cerebri & circa cerebrum sanguis effundatur, ruptis vasibus, in quibus præclusa est sanguini via, quā sedire solet ad cor. Ex iisdem intelligitur, quā turpiter errant, qui existimant sanguinem circa cerebri basim effusum esse causam Apoplexiæ, cūm potius Apoplexia præcedat illam sanguinis effusionem, aut saltem utraque ab eadem causa dependeat. Ex iisdem adhuc deduci facile potest quare plerumque in cerebro Apoplecticorum sanguinis suffusiones appareant; qui scilicet magno cordis conato protruditur sanguis per arterias ad cerebrum, nec potest reineare per venas, in cerebri substantiam exundat, si medioeris sit venarum obstruictio; aut vasa rumpit, si magna sit eorum occlusio.

Ex dictis etiam patet quare ut superius insinuavi ii Apoplexiæ sunt obnoxii, quibus in cordis ventriculis aut in vasis pulmenis aliisque

Polypi , aut glutinosorum corporum concretiones , de quibus supra dixi , excitantur . Ex iis enim sit manifestum magnam inesse sanguini aut ejus sero dispositionem ut coagulentur , & per sanguinem fusam esse coagulationis causam melancholiā ; ita ut si vel hic humor , vel illa dispositio augeantur , in Apoplexiā facile incident , qui hæc patiuntur . Quām turpiter hallucinentur qui putant corpora illa glutinosa albida gelatinam referentia ē pituita compingi patet , quod impossibile sit pituitam in loco calido & humido ulla arte ita coagulare , ut ejusmodi corporum consistentiam acquirat : quin potius concreta pituita in liquore quo- cumque calido dissolvitur , diffunditurque . Si hæc advertissent qui in pituitam ejusmodi concretiones referunt , proculdubio aliter sen- sisserent : sed plerorumque mos fuit , & est adhuc , non laboriosa inquisitione veritatem assequi , sed vel ex veris observationibus , vel ex figmen- tis quibuscumque audacter pronuntiando viro- rum solertia famam captare ; jam verò cùm variis innotuerit experimentis sanguinis serum facile concrescere , acidorum affusione , in ge- latinæ formam , se ridendos prabent , qui horum corporum in cordis ventriculis concres- centium materiam putant esse pituitam . Certè materia concretionum illarum aut Polyporum , quando colore & substantiâ aliqualem habent cum carne affinitatem , non potest existimari pituita . Hæc scribenti mihi venit in mentem pituita illa vitrea de qua loquitur Galenus variis in locis , tum ex propria sententia , tum ex testimonio Praxagoræ , quamque dicit con- sistentiâ referre vitrum fornacis calore fusum ,

frigidissimam tamen , & adeo infestam , ut in
intervenis conclusa dolores acerbissimos pariat .
Certe vix credibile videtur à frigore actuali
pituitæ fævos adeo dolores posse concitari :
etenim quantumvis sit potestate frigida , in
loco actu calido necessariò debet ita ejus frigi-
ditas temperari , ut nullum possit inferre do-
lorem , & si quæ ab eâ pituitâ molestia exci-
tatur , ejus proculdubio causa est succus qui-
dam acidus , qui cum alio concrescibili per-
misto tantam confert consistentiam pituitæ .
Verosimillimum est , hoc modo generari muco-
sa illa excrementa , quæ aliquando per hæmor-
rhoides effunduntur . Observavi aliquando æ-
grotantem dejicere frustula , nucis juglandis
magnitudine , materiæ albæ , viscidæ , crassæ , fi-
brose , quæ prope anum hærens in intestino
recto molestiam aliquam exhibebat , à qua
pendere putabat ægrotans dejiciendi difficul-
tatem & alvi pigritiem , qua laborabat . Hanc
materiam putabam maximam partem ab hæ-
morrhoidibus effundi , quæ , quia in ductuum
exitu statim concrescet , in fibras efforma-
tur . Validam illam concretionem & dejectio-
nem difficilem fuisse effectus succi melancho-
lici acidioris nullatenus dubito ; quia in ægrotan-
te multa apparebant melancholiæ dominan-
tis indicia , & quia ab iis quibus acida obtun-
duntur levabatur . Meam sententiam confir-
mavit observatio Joannis Georgii Greissel Me
Clarissimi in viro quinquagenario , qui ap-
hæmorrhoidibus materiæ viscidæ instar s-
matis ranarum ingeniem copiam profudit ,
licet ad libras decem .

CAPUT VIII.

Nonnullæ circa observata in Apo-
plecticorum cadaveribus difficul-
tates, & textus Hippocratis ob-
scurores explicantur, ac quædam
objectiones solvuntur.

EXPLICANTUR DIFFICULTATES
CIRCA OBSERVATA IN APOPLECTICIS.

QUÆRI potest i quomodo in mea hi-
pothesi fieri potuit tanta sanguinis pro-
fusio absque causa externa, quanta describitur
in Historia i Vepferi supra relata? Quomo-
do potuerunt ventricorum cerebri latera, à
sanguine in ipsorum cavitatem effuso disrumpi,
& lacerari? Respondeo ingentem illam profu-
sionem sanguinis evidentissimè meam senten-
tiā confirmare. Nec enim sanguis unquam
vasa rupisset, si aperta ipsi fuisset solita ab ar-
teriis in venas via, non potuit autem ulla alia
esse occlusionis causa, quam obstructio, nec
obstructionis, quam coagulatio sanguinis, qui
ab acidiore melancholia figi subito potest.
Quod attinet ad laterum ventricorum lace-
rationem, ea non est effectus distensionis ven-
tricorum à sanguine in ipsorum cavitatem
effuso, sed effusionis sanguinis à vasis in medium

ipsam laterum ventriculorum substantiam, cuius fibras sanguis primo impetu parum ab invicem separavit, ac tandem uberioris fluendo, eas disruptit, & in ventriculorum cavitatem viam sibi fecit latiorem. Illam lacerationem factam fuisse modo à me exposito, manifestò probatur ex Historia sequenti, ubi notatur magnus abscessus in ipsa substantia cerebri factus prope ventriculos, à magna sanguinis profusione; continebat enim abscessus illius cavitas grumum sanguinis magnitudinis ovi gallinacei præter alios minores, & libram fere sanguinis fluctuantis. Si quis modo à me superiùs exposito cerebri structuram, & fibrarum ipsius contextum exploreret, perspiciet quām facilis sit fibrarum ab invicem separatio, si sanguis aut alias liquor cum quodam impetu inter illas illabatur. Illapsus autem ille nunquam continget quādū aperti erunt sanguinis canales, ut non facilius per arterias affluat ad cerebrum, quām refluat in venas.

Quārī potest & unde ortum duxit gelatinā illa, de qua loquitur Vepferus Historia & his verbis. *Tota cerebri & cerebelli superficies, tam gyri quam diaulsi gyris anfractus, eū gelatinā quaquaversus obfusi videbantur, quā cultello lesā serum extillavit syncerum, &c.* Respondeo gelatinam illam nihil aliud esse, quām serum sanguinis concrescibile, vel potius ipsum sanguinem per exiles vasorum disruptorum rimas effusum, & in gelatinam concretum, ob copiam aut acrimoniam melancholie ipsi permistæ. Si cui durior videatur hæc responsio, advertat velim, quæ accidunt pleuriticorum sanguini in vasculo: is enim ut plurimum ma-

ximam partem in gelatinam albida m , & admodum viscidam , tenacem , ac firmam mutatur , bona pars in serum tandem abit , ut rubor in paucissimo sanguine conservetur : imo aliquando ferè totus evanescit . Hæc omnia sunt effectus acidi vel in parte affectâ exaltati , vel in totam massam effusi , seu ipsi à parte affecta communicetur , seu aliunde accedit : certè id evincunt morbus , ejus medela , & hæc in sanguine phœnomena .

Quæret aliquis ; quare in universalis Apoplecticorum resolutione sensus & motus instrumentorum respirationis conservantur , cordis præterea & quarundam partium intimi ventris ? Respondeo non ita facile esse hunc nodum solvere , cùm nondum satis perspecta sit interior cerebri structura , & humorum , qui in variis ejus glandulis secernuntur ac præparantur natura . Naturam prospexit partibus quarum actiones sunt maximè necessariæ , ut non deficiant nisi postremæ , ex eventu satis liquet , quæ adhibeat media ignoratur . Si quis sit hic locus conjecturæ , fortè manifesta illa alkaliū salēdo quæ in glandula pineali reperitur in hos est usus destinata , ut fluidiorem efficiat sanguinem , ex quo sp̄ritus eliciuntur , ut influant in memorata organa , ut fluidiores reddant eosdem sp̄iritus , & eorum coagulationem impedianter . Fortè & aliunde suppeditantur sales volatiles illis vasis , ut contenti in illis liquorēs non nisi à vehementiore acido possint coagulari . Fortè plexus varii , cum quibus organorum memoratorum nervi communicant , sunt veluti totidem paryta cerebella , quorum influxus solus independenter à magno

cerebro sufficit ad aliquod tempus , aut exiguus illius eget auxilio. Ego sanè non ausim quidquam affirmare : ut certi quid statuatut accurate opus est structuræ cerebri notitiâ.

Quæret aliquis & si plethora & cacochemia pituitosa non sunt causa Apoplexiæ , quomodo possunt conferre ad ejus productionem ? Respondeo utramque efficere sanguinis motum tardiorem , ac proinde illum disponere , ut à succis acidis facilius coaguletur. R. 2 pituitæ copiam , calorem nativum & spiritus ac sales volatiles obtundendo , ac sua visciditate irretiendo , melancholia & succorum acidorum dominatui favere ; quia acida ab alkali infringuntur : præterea dejectæ ac oppressæ vires ob pituitæ copiam , si quâcumque causâ melancholia commoveatur facilius prosternuntur. Plethora verò corruptelam inducit à quâ variæ fiunt in massa sanguinis effervescentiæ , quibus quiescens melancholia commovetur , & ob rationem allatam sanguinis massam facilius coagulat. Verùm non solùm Plethora & cacochemia pituitosa , licet Apoplexiæ causa non sint , eam accersunt , aut faciunt magis lethalem , sed ferè quicumque morbi , sed præcipue illi , qui cerebrum occupant : in primis , partis illius atonia & phlegmone.

EXPLICANTUR QUIDAM TEXTUS HIPPOCRATIS.

In textu supra citato ex lib. & de diæta in morbis acutis ; postquam Hippocrates loquutus est de fluxionibus atræ bilis & humorum acriū , ita habet. *Dolent autem partes interne dum*

invadentur. Converse vero & valde siccæ factæ
venæ intendantur & inflammatae affluentia as-
trahunt. Ex iis quæ supra dixi facile intelligi-
tur qua ratione acrum humorum affluxu venæ
inflammantur, à qua inflammatione siccæ pos-
sunt aliquatenus appellari, ob humorum na-
turam & cruditatem, & ob eam quam contra-
hant duritatem. Siccæ etiam possunt appellari
venæ ob sanguinis quem continent exsiccatio-
nem, coagulatio enim est quedam exsiccatio,
quæ coagulatione fit, ut spiritus nequeant na-
turales in sanguine vias pertransire, ut ait Hippo-
ocrates. Ex illa sanguinis exsiccatione aut
coagulatione intelligitur, quomodo fit humo-
rum affluentium attractio; quæ potius dicenda
esset retentio, cum obstructis sanguine con-
creto venis, delati per arterias humores fistun-
tur nec possunt ad cor remeare, ut iterum in
totum corpus diffundantur.

Ex mox dictis clarior sit textus octavus su-
pra citatus ex lib. 2. de morbis, cuius hæc sunt
verba. *Patitur autem hæc (scilicet Apoplexi-
cus) cum vena in capite fuerint calefactæ, &
calefactæ pituitam in seipsum traxerint. Inflam-
mantur enim venæ, præcipue capillares, quo-
ties sanguis in ipsis concrescit: & tum angustiâ,
quam inflammatio efficit, tum obstructione,
que sanguinis coagulationem necessariò sequi-
tur, humores omnes fistuntur, præcipue pitui-
ta ob visciditatem, & ob multitudinem, quando
abundat, ut in ægrotante quem hic describit
Hippocrates. Quæ sequuntur in eodem textu
ex dictis facilè intelliguntur.*

In textu nono citato l. de Glandulis Hippo-
ocrates aperte asserit, ad Apoplexiæ genera-

nem necessariam esse humorum acrimoniam, quæ si absit non generatur Apoplexia, sed delirium melancholicum, quod cum expiota Hippocratis doctrina mirè consentit. Acrimonia scilicet acida sola est apta sanguinem coagulare, quando est intensior; quæ sali est alkali acrimonia, tantum abest ut coagulet, ut potius, quæ sunt ab acidis coagulata dissolvat.

Objicitur r. Apoplexiā numerari ab Hippocrate inter morbos, qui pluviosis temporibus sunt Aph. 16. sect. 3. & inter morbos hemicranales Aph. 23. ac proinde Apoplexiæ causam censendam esse pituitam, non melancholiam; constitutionibus enim frigidis & humidis magnus sit pituitæ proventus, non melancholiz. Respondeo ex iis quæ dixi manifestum esse plethoram & pituitam Apoplexiæ invasionem promovere, quamvis nec sint, nec esse possint præcipua illius causa; in constitutionibus humidis facile cumulantur plethora & pituita cacochemia, tum ratione frigiditatis aëris ambientis, tum ratione transpirationis immunitæ ab aëris frigiditate & humiditate; nec non gravitate. Imò in constitutionibus frigidis & humidis succi acidi magis abundant, quod ciborum major appetitus iatis tellatur. Quod attinet ad hyemem non modo spectanda est naturalis illius constitutio, sed potissimum quomodo disposita à prægressa tempestate corpora suscipiat: quia enim precedit autumnalis tempestas, ob seccitatem ac frigoris calorisque inqualitatem, in corporibus quorum exhausit spiculus gelidus calor, magnum efficit melancholie proventum: ut mirum non sit

fit Apoplexiæ causam, quando validior facta est, ex minima occasione in actum deduci. Ex accidenti itaque, per pituitæ generationem aut per plethoram, hyems & quævis constitutio pluviosa, Apoplexiæ invasionem promovent.

Objicietur 2 Apoplexiæ habere prodromos, ante omnimodam functionum animalium abolitionem; præcedere interdum hemiplegiam, interdum partis cuiusdam specialis resolutionem, linguæ torporem, memorie immisionem, & similia, ut satis liquet ex Historiis relatis, ac proinde Apoplexiæ invasionem non esse subitam. Respondeo Apoplexiæ dicitione affectionis, causæ illam producentis, & partis affectæ. Ratione affectionis & partis affectæ, aut partium affectarum, semper memoria superius profert symptomata patognomonica, ratione causæ subita est illius invasio. Si aliquando contingat Paralysim præcedere à quaunque causa, aut alium quemcumque morbum, hoc est Apoplexiæ accidentale. Imo quæ causa infert Apoplexiæ potest hemiplegiam, aut partis alicujus resolutionem, aut stuporem producere, si in una tantum parte colligatur, aut è suo foco in illam effluat; ex sua tamen natura apta est repentinam inducere functionum animalium abolitionem, & difficilem respirationem, quæ omnia nullus aliud humor potest efficere.

Objicietur 3 Apoplexiæ levem interdum definire in Paralysim unius lateris, ac proinde eamdem esse causam Apoplexiæ & Paralysis, & quandoquidem ex omnium consensu pituita est causa Paralysis, indubitatum esse

pituitam posse esse causam Apoplexiæ. Respondeo verum esse Apoplexiæ levem interdum definere in paralysim unius lateris, ac proinde eandem causam quæ excitaverat Apoplexiæ inducere paralysim. Ergo omnis causa paralysis est causa Apoplexiæ, nego consequentiam. Certe quidem est eam causam quæ excitat Apoplexiæ, posse etiam excitare paralysim, non vero quamcumque paralyseos causam, posse esse causam Apoplexiæ. Cum enim Apoplexiæ sit resolutio totius, ut paralysis est resolutio partis, & alia inferat symptomata quibus à paralysis distinguuntur: nihil mirum videri debet, si causa Apoplexiæ aliquando sola inferat paralyseos symptomata, cum specialem tantum partem afficit, & spirituum influxum in illam impedit. Nihil mirum si sint variae cause, quæ paralysis inducent non Apoplexiæ, cum ex sint plurimæ quæ possunt resolutioni alicujus partis aut etiam totius producere, non reliqua Apoplexiæ symptomata. Nullum enim est genus humorum quod non possit inferre paralysis: unicum, melancholia scilicet, potest esse causa Apoplexiæ. Non solum ab humoribus sed etiam ab intemperie simplici, à compressione per tumores, vertebrarum luxationes, induci potest paralysis &c, quæ omnium consensu non possunt esse causa Apoplexiæ. Nec si v.g. omnia quæ in Apoplecticis contingunt symptomata subito invaderent ægrotantem, ob concussionem capitis, luxationem alicujus vertebrae colli, aliamve causam nervos comprimentem, & simul ob quamcumque aliam causam fieret difficultas respiratio, dicen-

dus esset Apoplecticus, qui talia pateretur, ejusque morbus non esset unus, sed multiplex, aut ex multis compositus.

Instabit aliquis eam affectionem à pituita dependere in qua se produnt manifestissima pituitæ illam efficientis indicia, ut accidit in Apoplexia; pituita enim impleri cerebrum & pulmones Apoplecticorum, satis manifestum videretur ex copiosa, quæ in fauces defluit, pituita, cuius decubitus est signum oppleri cerebri, à quo exundat pituita, & causa repletionis pulmonum. Respondeo ad primum, scilicet ad opplerionem cerebri à pituita, ejus certum indicium desumi minimè posse à copioso pituitæ decubitu in fauces, cum ea defillentur glandulis circa fauces sitis, quæ sunt ad pituitæ secretiōnem & excretionem destinatae, non è cerebro, è quo nullus patet pituitæ in fauces transitus. Copiosus ille pituitæ decubitus non est symptomā Apoplecticorum propriū, cum ferè à quocumque morbo moribundis contingat, ac proinde non tam arguit cerebri opplerionem, quam summam virium dejectionem & spirituum dissipationem, aut extinctionem, quā sit ut nervi qui ductibus secretoriis præsunt, relaxentur, & facilem præbeant humoribus extum. Eam ob causam qui sunt morti proximi sudore frigido aliquando diffluunt, &c. Quod attinet ad secundum, scilicet ad opplerionem pulmonum, huius difficultati satisfactum est Capite 4.

Instabit iterum illum morbum à pituita vel sero produci, qui pituitæ vel seri evacuatione sanatur aut minuitur: experientiā quotidiana compertum esse per hydragogā aut phlegma-

goga, pituitam aut serum evācuando Apoplexiā sanari. Respondeo quæ purgant serum & pituitam ea expurgare melancholiā, quæ ut plurimum comites habet illos humores; non expurgant autem melancholiā electivē ut vulgo creditur propter affinitatem aut societatem, quam habet cum reliquis humoribus, sed propter vehementem purgandi vim, quæ ad melancholiā evācuandam requiritur. Mirari subit eos, qui pertinaciter afferunt pituitam esse causam Apoplexiæ, uti calefacientibus tum externis tum internis, ad pituitam eliquandam & attenuandam, ut deinde posit faciliū evācuari, cosdem tamen pati petviciacia afferere, pituitam à calore densati, & coagulari in calculum: adeò verum est, non solū veritati, sed etiam sibi ipsi contraria esse falsitatem, & ex errore semel admisso alios errores magis ac magis absurdos in infinitum pullulare!

C A P U T I X.

De differentiis accidentalibus Apoplexiæ.

PRATER differentias essentiales de quibus actum est Capite 4 & eas quæ desumuntur à causis juxta doctrinam Hippocratis, considerandæ sunt etiam Medico differentiaz magis accidentales, à quibus desumuntur contraindicationes, coindicationes, aut indicatio-

A I X C A P U T I X.

101

num modificationes, quales suppeditant morbi conjuncti, præcipue qui cerebrum occupant, deinde morbi aliarum partium, quibus cerebrum specialiter compatitur.

Quælibet differentia suis signis, (à quacumque causa aut morbo comitante dependeat) causæ, vel morbi signis se prodit. De quibus hinc agere superfluum est.

C A P U T X.

Prognostica & eorum rationes exponuntur.

SENSUS hebetudo & ejus amissio, si forte inciderint futura denuntiant Apoplectica Hippocrates in Coacis. Si forte inciderint, hoc est subito, & citra manifestam causam, juxta Aphorismum 40 sect. 7. Ad præfigia Apoplexiæ, videantur Aph. 56. & 57. sect. 6.

Apoplexiæ fortè solvere impossibile est, debilim verò non faciliè Aph. 42 sect. 2. Apoplexia fortis ea est, in qua sanguis magnam coagulationem subivit, à qua non datur perfectus regressus, quæcumque adhibeantur auxilia. Lactis coagulatio potest præcaveri; at lac coagulatum in pristinam naturam restituī arte nullā potest. Quamvis enīm lac coagulatum alkalium permitione eliquetur aliquatenus, nunquam tamen in pristinum statum reducitur, sed tantum in minores moleculas dividitur, grumis tenuiori liquori innatantibus.

Idem omnino accidit sanguini, & quod pejus est, si omnimoda facta fuerit in vasis capillaribus illius coagulatio, assumptum ab ægrotante medicamen dissolvens nunquam ad illum perveniet; eò enim tantum defertur, quòd cum sanguine devolvitur; nullus autem fit fluxus sanguinis ad vasa penitus obstructa, cùm nullus ab illis detur effluxus. Si verò vasa non fuerint omnino obturata, solvens medicamentum quem attinget sanguinem, non restituere pristinæ naturæ, sed tantum dissolvet in liquorem grumosum, inutilem ad spiritus generandos materiam, & ad obstruendas cerebri glandulas maximè idoneam. Summa igitur esse debet Medici sollicitudo, ut insultum Apoplecticum præcaveat, aut in prima ipsius invasione statim convenientia adhibeat auxilia, & ut docet Hippocratis textus supra citatus ex l. 4. de diæta in morbis acutis, *dum adhuc elevati sunt omnes affligerentes spiritus.* Frustra igitur venditantur sales quidam volatiles & spiritus subtilissimi totam sanguinis massam fulminis instar subito permeantes tanquam certissima Apoplecticorum remedia: nec ob medicamentorum defectum, sed ob morbi natram & causam Hippocrates pronuntiavit Apoplexiā fortē esse omnino incurabilem. Eandem ob causam incurabiles sunt, factæ ab humore melancholico sanguinis & aliorum humorum consummatæ coagulationes in tumbris scirrhosis. Ex dictis intelligitur quād periculosa sit debilis Apoplexia: ubi enim sanguis incipit ab acido grumescere, facile tota massa corrumpitur; nisi adhibitis statim remediis acidum infringatur & alkali roboretur.

Quibus verò signis cognoscantur tum fortis
tum debilis Apoplexia, jam dictum est supe-
rius.

Morbi Apoplexiā comitantes, prout sunt
magis aut minus periculosi, faciunt Apople-
xiā levem magis aut minus lethalem. Phle-
gmone cerebri maximum assert periculum,
atonia verò levem per se Apoplexiā incur-
abilem efficit. Apoplexiā phlegmonæ con-
junctam febris superveniens non levat.

Apoplexiā debilis plerunque definit in He-
miplegiam: id experientia frequens commo-
nistrat, quā ratione id fiat, in nostra hypothesi
est explicandum. In prima Apoplexiā invasio-
ne cùm melancholia in cerebro commota, in
sanguinem effluit, eumque incipit coagulare,
si bilis in sanguinem effluens, aut concitari
quacumque de causa sales volatiles in massa
sanguinea diffusi, aut exhibita tempestivè re-
media, melancholiæ vim infringunt & sanguini-
nis coagulationem in tota massa impediunt sol-
vitur integrè Apoplexia. Si verò in altera tan-
tum parte cerebri coagulatio sanguinis impe-
diatur, necesse est medietatem corporis tan-
tum à resolutione liberari. Fit autem, ut in
altera parte tantum sanguinis coagulatio im-
pediat, quia in illa paucior melancholia
genita est, aut in illam effluxit: quia propter
vasorum dispositionem, major eorum, quæ
solvunt sanguinem, copia ad eam partem est
delata; quod ipsum etiam necesse est contin-
gere ob liberiorem sanguinis transitum per
vasa minus obstructa. Dicet aliquis, si in al-
tero latere tantum prohibetur sanguinis coa-
gulatio, respirationem esse necessariò difficilem

in latere opposito. Respondeo sanguinem solventia, etiamsi per vasa unius lateris tantum deferantur ad cerebrum, remeare ad cor & pulmones per vasa utriusque lateris, ob memoratam supra illorum communicationem in cerebro, ac proinde in utroque latere vires suas exercere. Præterea quæ melancholia levem tantum efficit in cerebro sanguinis coagulationem, vix quidquam potest in corde & pulmonibus, ob continuum & violentum illarum partium motum, quo coagulatio impeditur.

Quæ Apoplecticis superveniunt hæmorrhoides, salutares; pestifera autem perfrictio atque supor Hippocrates in Coac. de Apoplexia Aph. 3. Ut hæmorrhoides sint salutares requiritur, 1 ut apoplexia sit debilis ob rationes superiùs allatas; 2 ut fluxus sanguinis, per hæmorrhoides, sit liberalis, & statim fiat in ipso morbi principio. Hac prognosi confirmatur sententia Hippocratis de causa Apoplexiæ, quæ si aliis esset humor à melancholico, non ita levarentur ægrotantes effuso per hæmorrhoidas sanguine, quas norunt omnes esse destinatas ad evacuationem humoris melancholici, experientiâ quotidiana commostrante, eos qui morbo laborant à melancholia, magis sublevari per illas vacuaciones sanguinis, quam per quascumque alias. Fluente itaque liberaliter per hæmorrhoides sanguine, non solum in toto plethora minuitur, & quæ ab arteriis hæmorrhoidalibus in totam sanguinis massā fluebat melæcholia subtrahitur, sed etiam à partibus superioribus ad inferiores fit quædam revulsio, qua sanguini facilior fit reditus à cerebro in venas, & motu ipsius facto rapidiore coagulatio prohibetur ac vasorum

obstructio solvitur. Perfrictio vero pestifera meritò dicitur, quia extinctionem designat caloris nativi, & consummatam sanguinis coagulationem, à qua non datur regresus.

Qui à trômate sunt impotentes corporis, exortâ quidem febre rigoris experie servantur, non exortâ vero fiunt Apoplectici parsim dextrâ partim sinistrâ Hipp. in Coacis.

Exorta subito Apoplexia non insanabilis., si febris lenta superveniat, funesta est, ut Numerii filio. Hipp. in prorhet. & in coac.

Quicunque sani dolore capitis repente capiuntur & statim muti fiunt & sterunt in septem diebus pereant nisi febris eos prehenderit.

Hic, Apoplecticus scilicet, si non febris ipsum corripiat in septem diebus moritur. Si vero corripiat plerunque sanus fit Hipp. textu supra citato lib. 2. de morbis.

Ex citatis locis Hippocratis febris Apoplexiā solvit. Inquisitione dignum videtur, an quaecumque febris quocumque tempore superveniens, quamicumque Apoplexiā solvere possit. Non primò febris quæ invadit cum rigore: qui enim rigor in febris principio infestat est symptomaticus, & ortum ducit vel ab empyemate trômatis & capitis sauciari, cùm ictus capitis occasionem dedit Apoplexiæ, unde certa mors portenditur, vel ortum ducit rigor ab humoribus acribus, acidis scilicet, exagitat & sanguini permistis, à quibus non modo non impeditur coagulatio, sed etiam augetur, quod satis indicat pulsus parvitas & imbecillitas, perfrigeratio, &c.

Febris itaque debet esse sine rigore è gene-
re ephemeralium à violenta spirituum como-

tione, qualem inducit conatus vehemens, ob spirandi difficultatem, eaque magna, quæ simpliciter febris nomine digna est, ut possit solvere sanguinem, qui in cerebro & pulmonibus incipit concrescere, & ne de novo concrescat impedire. Necesse est præterea ut in ipso principio invadat antequam sanguis sit coagulatus: quia ut jam insinuavi à consummata sanguinis concretione non datur regressus ad statum naturalem. Unde patet quām meritò damnetur ab Hippocrate, quæ Apoplecticis supervenit febris lenta, & quæ tardius acceditur in Coacis cùm ita loquitur *Apoplectice affectiones dependentē solutorio modo fientes, febre temporis progressu acoedente perniciose.* Nec quibuscumque Apoplecticis est salutaris febris, etenim non modo non juvat eos quorum vasa humorum multitudine sunt referta, quæ sanguinem rafaciendo magis distendit, nec eos, qui phlegmone cerebri laborant, sed potius eorum interitum accelerat. Denique quamvis minus videatur desperandum quando febris adest etiam ephemera vehemens, certa tamen salus ex ea non potest expectari, quia si vel sanguis concretus in penetralibus glandularum corticis cerebri impactus fuerit, vel serum concrescibile in nervorum osculis omnino concreverit, nulla ratione possunt ægrotantes ab interitu vindicari. Si vero, qui ab ictu in capite accepto in Apoplexiā incidunt, aut ad eam proxime disponuntur, superveniente memorata febre vindicantur à periculo quod inferunt Apoplectica symptomata, sed non sunt tuti ab inflammatione & aliis, quæ vulneri superveniunt, accidentibus. Ita ut in prognostico cautus de-

beat esse Medicus ne statim superveniente febre ægrotantis certam salutem policeatur. In sola autem Apoplexia debili licet à febre auxiliuni aliquod expectare , quandoquidem fortis nullo seu naturæ seu artis conatu potest perfanari. *In Apoplecticis à spiritus angustia sudor proruptus mortem subesse significat Hippocrates in Coacis.* Per spiritus angustiam Hippocrates intelligit, illani respirandi difficultatem quæ fortem Apoplexiæ designat , in qua sudor non potest non esse perniciousus , cùm à sola proveniat virium exolutione , & à ductuum in habitu corporis excretioni dicatorum resolutione , qua ratione in iisdem Apoplecticis copiosa pituita è faucibus exundat resolutis glandularum circa fauces ductibus.

C A P U T XI.

Curatio Apoplexiæ.

PO S T Q U A M summa perspicuitate demon-
stravi in quo posita sit Apoplexiæ natura .
quas partes primariò hic morbus afficiat , quæ
causa illum producat , quæque ejus vim adju-
vet & graviora efficiant illius symptomata -
postquam quis expectandus sit , ex iis quæ ap-
parent , eventus exposui , non admodum diffi-
cile videtur ratione atque , quid in methodo
hujus morbi curatione agendum sit Medico.
Cùm artis vires superet quoscumque ægrotan-
tes sanare ; sapientissimi Medici laus in hoc

posita est, ut omnia faciat apposite, nihil temerè tentet, aut si aliquando in deploratis etiam aliquid tentandum videtur, caveat ne artem, & optima artis præsidia infamet. Id faciet morbi eventum prædicendo, auxiliorumque vim declarando, ut pateat saltem apud æquos æstimatores, eam esse morbi naturam, eam causæ illum producentis energiam, ut à nullo possint remedio domari, ut à nullo magis quam ab exhibito auxilio possit levamen expectari. Quod attinet ad Apoplexiæ, partim ex dictis, partim ex dicendis facilè erit ita futurum morbi eventum prædicere, ut in tuto & Medici & artis fama collocetur. Cùm itaque Apoplexiæ artis nullo possit remedio debellari, aut ejus non est suscipienda curatio, aut saltem conatus omnes inanes fore prædicendum est. Quia verò debilis Apoplexiæ non vacat periculo, ita ei occurrentum est ut omnes intelligent quam sit dubia quæ affulget spes salutis.

Quapropter cùm levi etiam Apoplexiæ co-repti vix possint ab interitu vindicari, summa esse debet Medici sollicitudo, ut eos, qui in hanc pernicioſissimam affectionem propensi sunt, ab ejus insultu præserves. Cùm itaque Apoplexiæ causa sit melancholia, præcipuis esse debet omnis præcautionis scopus, ut hujus humoris generatio prohibeatur, idem genitus evacuetur, temperetur, ne congenita aciditas evecta aliquando vires suas exerat, & sanguinem figens horrenda inferat Apoplexiæ symptomata. Cerebri etiam quod præcipua est hujus affectionis sedes, tuendum est robur. In primis itaque rerum nonnaturalium usus

in hos scopos dirigi debet , nec solum humoris melancholici ratio habenda est , sed etiam eorum omnium quæ possunt ad illius generationem quomodocumque conducere , aut illius activitatem augere , aut ad ejus effectus perniciosissimos producendos , aut accelerandos conferre , cujusmodi sunt præcipue plethora & cachochymia pituitosa , & morbi varii præcipue cerebri . Quia verò hyeme & tempestatibus humidis frequentius invadit Apoplexia , tunc major debet esse cura eorum qui in hunc morbum propensi sunt , cavendo ne ab aëris intemperie noxa aliqua suscipiatur , aut ut si quæ susceptra est emendetur . Quæ præstantissima sint ad præcautiones præsidia facilè erit intelligere ex iis quæ dicentur in hujus morbi curatione , quam jam aggredior .

Cùm Apoplexia sit abolitio functionum omnium animalium exceptu respiratione , &c. à prohibito spirituum animalium influxu propter obstructionem ductuum cerebri excitatam ab humore melancholico figente sanguinenam , ab hoc morbo indicatur obstruktionis solutio , & cause illam efficientis remotio , quibus omnibus citissime prospiciendum est , cùm primo succi melancholici afflatus sanguis incipit concrescere ; quandoquidem magna & consummata concretio , omanem remediorum vim cludit . Cùm verò morbus non modo præceps sit , sed etiam magnus & perniciösus , præter Medicis diligentiam , magna etiam requirit auxilia . Quæ verò magna vocantur auxilia sunt sanguinis missio & purgatio de quibus inquirendum est an & quomodo conferant Apoplecticis , sumpto à sanguinis missione inquisitionis exordio .

DE MISSIONE SANGUINIS
IN APOPLEXIA.

Quanta sit vis missionis sanguinis ad Apoplexiā ejusque causam debellandam experientia quotidiana commonstrat, cūm plerique solā sanguinis missione tempestivē administratā statim à s̄evissimo hoc morbo vindicentur, eā vel neglectā, vel in longius tempus dilatā, quæ reliqua adhibentur auxilia nullam plerumque conferant utilitatem, ægrique symptomatum violentiā de medio tollantur. Quapropter non immeritò in omnium ore est illud Celsi l. 3. c. ult. ubi dicit *sanguinis detractiōnem in Apoplexia vel occidere vel liberare, aliud verò curationis genus vix umquam sanitatem restituere, sepe mortem tantum differre, vitam interim infestare.* His addit si post sanguinis missionem non redeat & motus & mens, nihil spē superesse; si redeat, sanitatem quoque respici.

Practicorum autoritas & fausti hujus auxiliī eventus, quanti facienda sit in Apoplexiā sanguinis missio satis suadent iis, qui alios tantum sequuntur, eorum quæ agunt rationes nosse parūm curant, satis esse existimantes ad famam tuendam, si magni Medici in similibus occasionibus similiter se gerant. Quia verò conveuienter auxiliorum modum ii tantum possunt adhibere, qui ex perspecta morbi natura ejus curationem instituunt; demonstrandum nobis est, ex idea Apoplexiæ ejusque causa juxta doctrinam hastenus stabilitam, quanta sit in hoc morbo necessitas sanguinis missionis, & quæ debeant esse in hoc auxilio ad-

ministrando præcautiones.

Missionem sanguinis per se indicat plenitudo, seu in toto corpore, seu in parte aliquâ, cumulata: ea verò al. quando totum Apoplectorum corpus gravat: certè semper cerebrum & pulmones infestat, ex demonstratis, ac proinde, in Apoplexia semper indicatur sanguinis missio per se ratione plenitudinis, & per accidens ratione coagulationis sanguinis quam plenitudo adjuvat, & ratione obstructiōnum quas fovet, ut patet ex dictis. Plenitudine pulmones infestari manifestum est ex difficultate respirandi, ex ruptione vasorum quæ aliquando contingit cum effusione sanguinis in thoracis cavitatem, ex pulmonum distensione, quæ aliquando perseverat aperito thorace eorum, qui Apoplexia extincti sunt. Plenitudinem cerebri demonstrant venarum jugularium distentio in vehementi Apoplexia, vasorum sanguineorum in cerebro ruptio, & sanguinis effusio satis frequens in ventriculos cerebri aut circa cerebrum.

Utilitas venæ sectionis statim perspecta erit perpendenti Apoplexiæ causas & symptomata, & quæ sanguinis missionem necessariò sequuntur. Undecumque mittatur sanguis totius plenitudo minuitur; sed præcipue ea quæ cerebrum & pulmones gravat, si vena aliqua, ex iis, aperiatur, quæ sanguinem reducem in cavam ascendentem convehunt. Cùm enim qui sic effunditur sanguis, ab illo alveo subducatur, minor quam antea illius quantitas in pulmones influit, hincque fit ut qui eorum vasa distendit per angustiores ductus facilius in cor elutrietur, indeque in arterias:

subducto etiam sanguinis in jugularibus flagrantis impedimento, qui ad cerebrum deferatur, facilis ad cor remeat, tum proprio pondere, tum ejus impulsu, qui per arterias advehitur. Ob hæc omnia celerius quam antea sanguis movetur in vasis, à coagulatione prohibetur, & qui in ductibus exilioribus incipiebat concrescere, ibique hærebat, inde evanescit, & validiore agitatione, suæ fluiditati restituitur; ac denique quæ occlusæ erant sanguinis & spirituum viæ referantur. Ad hoc etiam confert restitutus per venæ sectionem liberior sanguinis motus, ut quæ exhibentur sanguinem solventia medicamina ad cerebrum uberioris deferantur, & expectatam conferant utilitatem; nec enim facile ad partis cuiusquam interiora penetrare possunt, nisi cum sanguine ad ea devolvantur. Eâ de causâ statim in prima morbi invasione mittendus est sanguinidum, ut ait Hippocrates, *ad huc elevari sum spiritus*, dum viget sanguinis calor & fluiditas, si enim hoc auxilium differatur, & sanguis penitus in vasis concrescat, nulla erit expectanda ex missione sanguinis, aut aliis auxiliis utilitas: cùm à consummata coagulatione non detur regressus. Si enim in cerebri vasis fiat ejus coagulatio, immedicabilem inducit resolutionem: si acidum ad cor delatum, in ejus ventriculis & vasis vicinis omninofigat sanguinem, Apoplexiæ syncopem copulabit, quæ subito intemperie ægrotantem. Sic apud Petrum Salium diversum l. de particularibus affect. c. 4 puella 14 annorum, cùm per diem capitidis gravitatem, vertigines & anxietatem passa esset, qui porculdubio erant Apoplexit

prodromi , die sequentii subito extincta est.
seculo post mortem cadavere , in arteria magna
& in vena cava totus sanguis concretus appa-
ruit , ut apprehenso illius altero principio , ita
integer ex vena & arteria educeretur , ac gla-
dius è vagina extrahi solet . Adde quod ad eam
coagulationem vix potest perveniri , quin à
sanguinis cum impetu ruentis & exitum non
invenientis conatu vasa cerebri rumpantur , &
magna sanguinis copia effundatur , unde mors
certissima est expectanda . Citissimè itaque
administrandum est sanguinis missionis præsi-
dium Apoplecticis , nec expectandum est , cùm
res urget , ut clyster aut quodcumque aliud
remedium præmittatur : maximè vero in ple-
thoricis , quos sanos Apoplexia invadit , qui-
bus , inquit Hippocrates , l. 4. de diæta in acu-
tis *ut plurimum coincidunt rubores faciei , oculorum immobilitates , manuum distensiones , dentium stridores , pulsationes , maxillarum adductio-*
his inquam liberalis convenit sanguinis pro-
fusio , juxta præceptum Hippocratis eodem
loco . *Venam igitur secare oportet in brachio dextro internam , & detrahere sanguinem , secundum habitum & etatem initâ ratione , plus aut minus .* Ubi æqualis est utrinque affectio ve-
nam in dextro brachio secare satius existimo ,
quàm in sinistro , quia in illo , ob majus exer-
citum , vasa sunt latiora , quàm in isto , ex
quibus proinde largiore facta sanguinis pro-
fusione , major & magis subita contingit in
sanguine mutatio . Unde merito Hippocrates
per venam internam creditur designare ma-
gnam . In brachio autem præscribitur venæ
sectio , quia missa ex ea parte sanguine pleni-

tudini totius & speciatim cerebri & pulmo-
num prospicitur. Ut ceteris minuatur plenitu-
do universalis, quidam eodem tempore in
utroque brachio venam aperiunt. Capivacius
l. i. pract. c. 17. spatio horarum 12. tres venas
aperiendas monet, in bracchio, in pede, in
capite; scilicet ad vacuandum, revellendum,
derivandum. Verum horum indicatio desum
debet à copia & à motu humorum, quem de-
signant, non solum præsentia symptomata, sed
etiam quæ præcessere, & Apoplexiæ dederunt
occasione. Vires, quæ qualē in mittendo
sanguine oporteat modum servare indicant,
æstimandæ sunt non ex impotentia præsenii,
sed ex robore ægrotantis ante morbi invasio-
nem, quo sit ut etiam pulsū serè deficiente
aliquando mitti debeat sanguis, nec metuen-
da est ob sanguinis missionem perfrigeratio,
concitato enim in motum sanguine & prohi-
bita coagulatione redit calor, fitque vegetor,
qui quiete sanguinis penitus extinguitur.
Nullus itaque Apoplecticus à venæ sectione
immunis esse debet, nisi summa virum dejectio
prohibeat. An eæ sint penitus exolutæ judica-
bitur ex respirationis lœsione, faciei pallore &
concentratia, extremorum aut etiam totius cor-
poris perfrigeratione, sudore post angustiam
respirationis. His enim omnibus mors proxi-
ma significatur, & inutile fore missionis san-
guinis præsidium. Hic subit mirari Medicos,
qui existimantes Apoplexiæ causam esse pi-
tuitam crassam & viscidam obstruentem cere-
bri ventriculos aut ipsos nervos, nihilomi-
nus venæ sectionem præscribunt; nec enim vi-
deo quem sibi scopum proponant, nec qua-

ratione , missa sanguine , tam subito obstructio solvatur . Quò enim tam subito abit pituita crassa ? Quas ipsi , ut inde evacuetur , vias aperit sanguinis missio ? An illam attenuat , incidit , ac fluidam reddit ?

Postquam , secta in bracchio venâ , imminuta est universalis plenitudo , pattes præcipue affectæ sublevandæ sunt : ad quod præstantissimum est præsidium venarum jugulatum apertio , à quibus , ob earum magnitudinem affatu profunditur sanguis , quo restagnante cerebrum gravabatur & pulmones hoc onere detracto minus premuntur , ac parciore affluente sanguinis , facilius quem continent deponunt in arterias & sinistrum cordis ventriculum : ac tandem liberiore reddito sanguinis fluxu coagulatio impeditur , obstrukiones solvuntur , functiones animales sensim restituuntur . Circa apertione venarum jugularium experientia suffragatur rationi , eoque facilius ex venæ tundi possunt , quod cum in hoc affectu tumidiores sint , nulla opus est ligatura , quæ hinc posset esse noxia , quæque eam ob causam post venarum jugularium apertione non est arctè adhibenda , sed vulneri imponendum est emplastrum ex bolo armeno , aloë , pilis leporinis & ovi albumine , ac sine constrictione deligandum .

Si non sit locus venæ sectioni ob virium dejectionem applicandæ sunt encubitulæ tum scarificatione scapulis , lumbis , cruribus , brachialis , uni vel pluribus ex illis locis : prout vacandi , revellendi , derivandi necessitas indicabit .

Hyrudines margini ani applicatas conferre

ex eo manifestum est , quod spontanea ha-
morrhoidum apertio salutaris est , monente
Hippocrate loco supra citato. Tum verò sunt
potissimum utiles , quando in partibus infimi
ventris collecta est ingens humoris atrabila-
rii colluvies , & sublato plenitudinis excessu
hyrudines applicantur , tum enim & reliquam
plenitudinem tollunt , sanguinem atrabilarium
evacuant , ejusque qui fit ad superiora motū re-
trahunt ad opposita. Eadem hyrudines venis ca-
pitis affixæ , post generales evacuationes & re-
vulsiones juvant : Nec non cucurbitula finci-
piti aut occipiti applicita cum scarificatione ,
sed cavendum ne ante adhibeatur quam insti-
tuta sit conveniens evacuatio & revulsio , alias
humorum motum ad superiora concitaret.

Frictiones etiam sunt utiles non solum quia
revellendi vim quandam obtinent , & calefi-
ciendo sanguinem attenuant , sed etiam quia
sopitam animalem facultatem excitant & ma-
jorem torporem impediunt.

In Apoplexia quæ comitem habet causam
concitantem plenitudinem , quam signa supra
memorata designant , mittendus est statim
sanguis largâ manu , juxta præscriptum Hip-
pocratis nullâ adhibitâ præcautione , quia vi-
res sunt remedio ferendo pares , & periculum
urget. Quando verò non adest plethora , sed
humorum acrûm ingens copia , melancholia
scilicet acidioris multitudo aut exaltatio Apo-
plexiam induxit , quod indicant dolores præ-
gressi , fomenta venæ sectioni præmittere ju-
bet Hippocrates , nec abs re. Cùm enim venæ
inflammantur ac exsiccantur angustioresque
fiant , & sanguis sensim concrescat , si iis occur-

tatur per fomenta emollientia, calefacientia, attenuantia, sanguis facilius fluer suoque rapido motu quod concrescere incipit, à dilatatis & mollioribus factis vasis capillaribus abstergit, si statim post fomentum aut in ipso fomenti usu vena fecetur; alias metuendum est ne per venæ sectionem tenuior sanguinis portio effluat, crassiore & coagulari incipiente relictâ, quæ mox exhibendi cathartici effectum impedit: fovendum autem est præcipue caput, cum in eo maximum immineat à coagulatione periculum, deinde Hippocondria, sed & fomenta & venæ sectio in ipso sunt morbi principio usurpanda, dum adhuc sunt elevati spiritus.

D E P U R G A T I O N E I N

A P O P L E X I A .

Postquam demonstravimus missionis sanguinis in Apoplexia necessitatem inquirendum superest an in hoc morbo aliqua sit necessitas purgationis. Cum præcipua Apoplexiæ causa sit melancholia qualitate, aciditatis scilicet excessu aut acerbitate peccans, evidens est humor illius cum à natura sit alienus, sui evacuationem indicare, cõque magis, quod periculum præsens est, nec datur etiam multo tempore ab aciditate ad benignorem & spirituosa aut balsamicam naturam reditus: multoque magis adhuc indicatur purgatio si caco-chymiae melancholicæ pituitosa conjungatur. Nec post sanguinis missionem, sublatâ è toto aut è cerebro plethora, majorem patitur dilationem purgatio, quam venæ sectio post Apo-

plexiae invasionem, nisi vires dejectae ad refectionem moram postulent. Quapropter sine ullo temporis delectu purgatio est quam citoſimè præscribenda. Nisi enim statim fluidiore reddito sanguine per venæ ſectionem, & obſtructionibus cerebri & pulmonum ex parte ſolutis, aut earum augmento prohibito, dum adhuc elevati ſunt ſpiritus, medicamentum exhibeatur catharticum, ſenſim progrediente ſanguinis coagulatione, tam pertinax effici poterit partium ſanguinis, & humorum ipſi permiftorum inter ſe cohæſio, ut omnem purgantium vim eludant: imò poterit purgantis ad partes potiſſimum affectas distributio aut omnino, aut ſaltem ex parte, viis per coagulationem ſanguinis anguſtioribus factis, prohiberi. Nec qualecumque eſt exhibendum medicamentum ſed vehemens, tale enim indicat, humoris peccantis natura, ſanguinis diſpositio & ipſe locus affectus. Ad primum ſpectat Aphor. 9. ſect. 4. *melandolicos vehementer purgabis per inferiora* nec enim movetur melancholia, niſi mochlico medicamento à reliquis humoribus divellatur. Sanguis verò concreſcens aut ad concreſcendum proximè diſpoſitus non facile contenta dimittit, ſed valido indiget fermento ut fervescat, & partium ſecreſtionem patiatur. Denique cum non ē ventriculo & primis viis educendus ſit humor, ſed ē tota ſanguinis maſſa, & potiſſimum ē cerebro, neceſſe eſt, ut per totum corpus purgantis viſ diſfundatur, & integra ad caput perveniat, quō nunquam pertinget purgans debile.

Erunt itaque conueniens medicamenti purgantis materia diacarthami, trochylſci alhandal,

hiera diacolocynthidos , sed maximè vinum emeticum quod , ut per inferiora purget , in sennæ infuso dissolvitur. Nec sola vis purgandi vinum emeticum commendat , sed etiam ob insignem , quâ pollet , vim sanguinis coagulationem impediendi , & coagulatum solvendi , quod in primis hoc in morbo requiritur ; ea de causa , ut vim illam in reliquis purgantibus acuant practici , illis solent castoreum permiscere.

Consideratis iudicationibus inquit Hippocrates , medicamentum purgans exhibere oportet , si non allevetur sursum ; ad inferiorem vero alvum , si non subeat , infusum per clysterem . Spectare debet Medicus quam in partem vergant humores , ut si nullus se prodat ad vomendum motus , aut dispositio , purgatio per inferiora sit instituenda , & contra : per eas enim vias optimè & cum minore ægotantis molestia fit ope medicamenti evacuatio , in quas humores vel ex propria natura , vel ex ductuum & totius corporis dispositione sponte profluunt. Si itaque ex structura corporis , consuetudine , &c. ægotans sit ad vomendum optimè comparatus , & nihil sit aliunde metuendum , exhibendum est ipsi emeticum. Verum majora sunt quæ in hoc morbo vomitus inferre potest incommoda , quam ut debeat sine meditatione promoveri. Non possunt enim musculi abdominis cum in vomentibus contrahuntur subjecta viscera & vasa comprimere , quin sanguinem ex ipsis exprimant & ad caput propellant : unde fit , ut qui extra Apoplexiā vomunt dolorem capitū gravativum patiantur , & venarum in fronte & temporibus distensiones.

Hinc patet vomitu in Apoplexia concitum noxam augeri, quia cerebrum jam sanguinis statione oppletum uberiore per arterias affluit adhuc magis impletur, cum magno periculo ruptioris vasorum, maximè quando adest plenitudo ad vasa, aut huic proxima. Tutiùs itaque semper erit per inferiora purgare, quamvis forte aliquando vomitum concitare non esset adeo periculosum, cùm vasa non sunt humoribus distenta, & vix incipit in cerebri aut pulmonum vasis obstrucțio. Hic advertendum est frequens error in exhibendo vino emeticō, meticulosi enim illud in minori dosi ad unciam scilicet aut sesquiuinciam ad summum prescribunt, expectatoque effectu frustrati medicamentum accusant infamantque, quod in adulatis & robustis debet ad uncias tres circiter exhiberi ex infusione sennæ. Clysteres acres frequenter injecti conferunt ex decocto herbarum cephalicarum, in quo dissolvenda sunt purgantia valida, diacarthami, hiera diacondyntidos, benedicta laxativa, aqua benedicti, vinum emeticum, &c. Horum clysterum utiliter præmittitur venæ sectioni, si quod imminet periculum patiatur dilationem venæ sectionis: clysteres enim evacuant ac ad inferiora revellunt, & quod spirituosum est & volatile, tum in purgantibus, tum in cephalicis, in venas illapsum sanguinis fluiditatem auger.

Nec negligenda sunt ab ipso principio quæ intus assumpta effervescentiam sanguinis augent, spiritus refocillant, calorem deficiētem fuscitant, præsertim post venæ sectionem in plethorici, in reliquis tum ante tum post.

Præstantissimi

Præstantissima sunt maximè spirituosa , & quæ sale volatili abundant , cujusmodi sunt aquæ Apoplecticæ multiplicis generis , spiritus vini tartarisatus , olea stillatitia anisi , rorismarini , salviae , caryophyllorum , & similium cum aqua aliqua cephalica . Magnam in primis & repentinam conferunt utilitatem sales volatiles à corporum concretione separati depurative , cujusmodi sunt sales volatiles salis ammoniaci , fuliginis , sanguinis , cornu cervi , inter quos primas obtinet sal volatilis viperarum . Sales illi citissimè totam sanguinis massam pervadunt fluidioremque reddunt , acidorum vim infringunt , sanguinis grumos dissolvunt . Prætereo Theriacam veterem , Mithridatum & varias potiones , ex usu præsenti & prout varia medicamenta reperiuntur , parabiles quibus cañoreum cum summa utilitate admiscetur .

Extrinsicus illinuntur palatum , nares , aures balsamis Apopleticis , Theriaca Mithridatio confectione anacardina , & similibus cum castoreo . Ista profundunt quia eorum partes magis volatiles in venas capillares penetrando sanguinem fundunt , & vias , quibus humores crassi evanuantur , aperiunt præcipue circa fauces .

Vesicantia capiti , cervici , bracchiis , cruribus emplastra epispatica pedibus applicata sunt aliquis utilitatis , non tam serum eliciendo , quam eliquando quod concrescibile est .

A prima invasione morbi ægrotans ita in lecto collocetur , ut corporis truncus non sit omnino erectus ; hoc enim esset nimis laboriosum & ægrotanti & adstantibus , sed parum inclinatus : sic enim abdominis visceribus deorsum procumbentibus , & diaphragmate ab eo-

rum pressione libero , facilior erit respiratio ; sanguis superiora petet minore impetu & faciliter inde defluet ad inferiora.

Succussions possunt esse alicujus utilitatis vacuato corpore : At in plethoricas & caco-
miā pituitosā laborantibus mortem accelerant.

Quæret aliquis utrum Apoplectici pereant defectu respirationis. Respondeo , antequam hæc difficultas solvatur debere prius expendi , an Apoplectici majore revera egeant respiratione , etenim experientia quotidiana compertrum est , minorem respirationem sufficere in hystericis & exstaticis : imò in iis aliquando tam parva est respiratione , ut vix arte ulla possit deprehendi. Qui putant ex aëre in vasa pulmonum sanguinea penetrare Fermentum quoddam , cuius permissione sanguis incalescit & spirituum uberiorem copiam profert ; hi inquam facile respondebunt sanguinem cum coagulatur in Apoplexia indigere magnâ copiâ ejusmodi Fermenti , quâ acidi figrantis virtus infringatur.

Verum hoc est obscurum per obscurius explicare , nec enim factis liquet , an fermentum ejusmodi sit in aëre diffusum ; si enim aëre fermento abundant , cum sanguis è vasibus illi exponitur , quare tam citò concrescit ? Quare ejusmodi fermenti mistione aut contactu majorem fervorem non concipit ? Si itaque ex iis quæ manifesta sunt hujus difficultatis solutionem queramus , advertemus juxta ea , quæ in cadaveribus Apoplecticorum reperta sunt , sanguinem in corde ac pulmonibus figi , ac proinde cordis ventriculis & pulmonum vasibus sanguineis

z concreto sanguine ex parte obstructis , san-
guinem tardè & difficile per pulmones transco-
lari : semper pulmonum venas , interdum etiam
arterias , distendi à restagnante sanguine . Ab
illa distensione oritur proculdubio irritatio ad
respirandum . A respiratione ob mutatum pul-
monum situm sequitur facilior sanguinis trans-
fusio ab arteriis pulmonum in venas , inde in cor ,
ac postea in arteriam magnam ; unde levamen
contingit ægrotanti , cujus pulmones minus
grayantur cum respirat . Præterea citiore sani-
guinis per pulmones motu coagulatio illius im-
peditur , quæ cessante respiratione & sanguine
in vasis hærente citius contingit . Hinc quid
aliud potest expectari quam mors . Defectus
itaque respirationis accelerat interirum Apo-
plecticorum , eaque de causa in eo statu eorum
corpus est collocandum , in quo facile possint
æiem trahere . An hac fuerit mens Galeni
cum docuit Apoplecticos defectu respirationis
interire non auderem afferere , alia enim ~~act~~
ille respirationis commoda . Quæret z quomo-
do magna sanguinis profusio potest inducere
quandam dispositionem ad Apoplexiā , quan-
doquidem sanguinis missio tantoperè confert
ad illam pæcavendam cum imminent , & ad eam
dem sanandam cum præsens est . Respondeo
nihil mirum esse , si in isto morbo idem contin-
gat , quod in multis aliis , qui supressâ sanguini-
nis vacuatione quadam consuetâ , & eadem
liberaliore existente procreantur . Humor me-
lancholicus ut demonstravi est causa per se Apo-
plexiæ , quatenus sanguinem in cerebro in pul-
monibus , & corde figit . Ille humor post libera-
liorem sanguinis profusionem facile succrescit

Exhaustis enim spiritibus acidum dominatur potitur, & qui largas evacuationes sanguinis consequitur mæror, ad ejusdem humoris proveniūtum non parūm conduceat: adde quod corporis partes debilitatæ morbis familiaribus sunt magis obnoxiae.

Quæret 3. quare reliqui humores præter melancholiā non possunt producere Apoplexiā, cùm inducant paralysim, quod bīlis ipsa interdum efficit. Respondeo quosvis humores causare facile posse nervorum angustiam, quod non sufficit ad producendam Apoplexiā, in qua obstruuntur vasa sanguinea pulmonū, quam obstructionem nunquam efficiet bīlis à qua tamen excitatur paralysis, ut aliquando licuit observare. Ab hinc duobus annis in Nosocomio Tolosano vidi in quatuor ægrotantibus, colicam à bile mutari in paralysim, quorum ægrotantium duo sanitati integræ fuerunt restituti per venæ sectionem, & per refrigerantia cum intus assumpta tum extrinsecus admota, quibus solis levabantur, quorum usu intermissione statim deterius habebant. Reliqui duo convulsionibus per intervalla recurrentibus, extra quas totius fere corporis motu privabantur, in favissimis cruciatibus extinti sunt. Bīlis nisi me sallit conjectura non tam obstruendo nervos, quam exsiccando illos angustiores efficit: fiebat autem illius decubitus in medullam spinalem, per arterias, quibus sanguis ad illam defertur, quo fiebat ut illi ægrotantes toto corpore resoluti, in capite solo nihil paterentur, quod vix fieri potuisset, si bīlis prius in cerebrum decubuisse quam efficeret in ductus nervorum illapsa.

Omissa ad finem capit. 7.

Cum ex dictis manifestum sit Apoplexiā consistere in obstructione ductuum cerebri & vasorum sanguineorum pulmonis , aut ventriculorum cordis , aut utrorumque , ob sanguinis coagulationem à succo melancholico excitatam ; manifestum est etiam differentias essentiales Apoplexiæ desunii debere à majore obstruktione illorum meatuum , per quos sanguis vel spiritus feruntur , quæ major vel minor obstrūctio se prodit per majorem aut minorem resolutionem in cerebro , per respirationem magis aut minus difficultem , in pulmonibus . Exurgit prættereā non parvi momenti differentia , ex obstructionis excessu majore in cerebro vel in pulmonibus ; ita ut si obstrūctio sit major in cerebro & resolutionem generalem inducat , ea verò aut nulla sit in pulmonibus aut exigua adeo , ut non efficiat respirationem sensibiliter difficultem , ea Apoplexia dicenda sit spuria , quia non haber pathognomonica Apoplexiæ exquisitæ symptomata , cùm ægrotans facile respiret ; quia scilicet humor melancholicus in solo cerebro sanguinem figit , in pulmonibus verò aut nihil aut parum efficit . Si verò idem humor in solis pulmonibus & corde sanguinem figat , non in cerebro ; ea affectio non erit aliqua species Apoplexiæ sed syncopes , maximè si sanguis coagulatur in corde . Hæc omnia attentè perpendenda sunt Medico , ut perspiciat cui magis succurrendum sit , an cerebro , an cordi & q[uo]d modo .

Digitized by Google

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Numerus indicat paginam.

- A**NATOMIA ignoratio quae mala inferat in Medicinam & quare pag. 1. 1.
Anatomiae ignoracionis causa. p. 2. 3.
*Apoplexie vera causa non potest esse in investi-
gi, nisi perspecta sit humani corporis structura,
humorumque natura.* 3.
*Apoplexie notio communis exponitur, demonstra-
turque definitionem communem esse rationabilem Lo-
gicam.* 4. 5. 6.
*Apoplexie causa non est sed potius effectus pi-
tuitae effluxus in cerebrum & in fauces.* 6.
Apoplexie differentiae à symptomatis. 11.
Apoplexie differentiae à causis desumptae. 69.
Differentiae essentiales. 125.
Apoplexie causa ex Galeno proponitur. 141.
*Apoplexie causa à Galeno assignata expendi-
tur.* 16.
Apoplexie causa eadem refellitur. 19.
*In assignanda Apoplexie causa sibi contrarius est
Galenus.* 122.
*Proponitur opinio statuens Apoplexie causam in
compressione Aysteriorum in cerebro, aut osis*

<i>gimis nervorum,</i>	23.
<i>Refellitur mox dicta opinio.</i>	26. &c. 43.
<i>Apoplectica symptomata excitantur excessu non defectu sanguinis in cerebro.</i>	27.
<i>Apoplexia non potest produci à pituita compri- mente basim cerebri.</i>	28. 29. &c.
<i>Apoplexia ab ictu Historia.</i>	23.
<i>Apoplexia circa causam externam Historia.</i>	24.
31. 32. 34. 38. 39. 40. 41.	
<i>Opinio statuens Apoplexiæ causam in denegatio sanguinis effluxu ad cerebrum exponit.</i>	50.
&c.	
<i>Stonia aut nimia cerebri mollescens ansis Apople- xiæ causa.</i>	53.
<i>An inflammatio cerebri sit Apoplexiæ causa.</i>	54.
<i>Ad inquirendam Apoplexiæ causam ex doctrina Hippocratis varii illius testis referuntur.</i>	56.
<i>Ma inquisitio instituitur.</i>	61.
<i>Statuitur Apoplexiæ causa coagulatio sanguinis ex Hipp.</i>	63. coagulatio- nis causa airabilis
	64. &c.
<i>Apoplexiæ causa inquiritur ratione ex Antecedenti- bus, 73. ex comitantibus 79. ex conse- quentibus 85. & ubique demonstratur esse melancholia.</i>	
<i>Apoplexiæ quomodo constitutur à bile commissa à concussione capitis.</i>	85.
<i>Ad Apoplexiæ quomodo conserunt cacoelymia pituitosa & plethora.</i>	94.
<i>Apoplexiæ invasio an sei subita.</i>	97.
<i>Apoplexiæ quare sunt obnoxii qui habent concre- tiones polyposas in corde aut alibi.</i>	89. 90.
<i>Apoplexiæ fortis quare incurabilis</i>	101.
<i>Apoplexiæ febris quando salutaris.</i>	105. que per- niciosa ibid, ex.
	106.

Apoplexia Hemorrhoides salutares & quando.

104.

Apoplexia levis quando definit in paralysem.

103.

In Apoplexia que partes afficiuntur. 65. 66.

De precauzione ab Apoplexia. 107. 108. &c.

Sanguis in Apoplexia non coagulatur a pituita;

67.

Apoplexia subito adhibenda sunt remedia. 101.

*Arteriis carotidibus ligatis an inducatur sopor,
quando, & quare.* 27. 28.

Apoplexia in tres species dividitur. 69.

Apoplexia curatio. 107. & sequentibus.

C

*Cerebri structura interior quomodo possit obser-
vari.* 18.

*Cerebri ventriculi non sunt officina spirituum
animalium.* 16. 22. 30.

*Cerebri compressione ab humoribus circumfluis
non possunt intercipi spiritus animales.* 44.

D

*Dolorum acerbissimorum causa est succus quidam
acidus.* 90.

E

*Epilepsia & Apoplexia quomodo ab eadem causa
dependere possunt.* 76.

Epileptici facile fiunt melancholici. 75.

F

Febris quartana quomodo convulsiones & dispo-

*fitioses ad Apoplexiā vel Epilepsiam solle
quamvis illius causa sit humor melancholicus.*

75. 76.

G

Glandula pinealis animae sedes non est. 20.

Glandula pinealis usus. 93.

Glandula pituitaria usus qualis sit. 20.

*Glutinosus humor gelatinam referens in ventri-
culis cerebri & circa cerebrum Apoplecticorum
aliquando repertus quid sit.* 92. 93.

H

*Hemorrhoidum fluxus seu sponte seu arte concia-
etur Apoplecticis salutaris est.* 65. 116. 109.

M

*Melancholici humoris acrimonia potest sola coa-
gulare sanguinem.* 96.

*Melancholicus humor quomodo potest in cerebro
colligi & in actum deduci.* 81.

*Melancholicus humor quare hyeme & tempesta-
tibus pluriosis frequentius Apoplexiā indu-
cit.* 95.

*Melancholicus humor quā etate dominata poti-
tur.* 65. 74.

O

Opinonum in Medicina absurdarum origo. 55.

P

An quecumque Paralysim producent possint pro-

ducere Apoplexiā; 97. 98. 124.
Pituita crassa non potest inferre subitum insul-
tum Apoplecticum. 19. an viscidus humor
qui in ventriculus cerebri reperitur pituita sit.
ibid.

Pituita vitrea quid sit. 89. 90.
Pituita in fauces Apoplecticorum defluens an ē
cerebro stillet. 51. 99.

Pituita quomodo trahitur in venas Apoplecti-
corum. 95.

Pituitam purgantia quare profundit Apoplecticis.
99. 100.

Polyposa corpora cordis. 52. 53.

Pulmones in Apoplectico rupi, ac sanguis in
thoracem effusus & quare. 87.

R

M

Respirationis difficultis in Apoplexia causa expli-
catur, & eam non fieri à pituita à cerebro in
pulmones effluentis decubitus. 6. 7. 8.

Respirationis laesio indicat in quo sint pericula
Apoplectici. 13.

Respirationis deficitus an intereant Apoplectici.
14.

An Apoplectici egeant majore respiratione. 122.

Respiratio quomodo sit difficultis in Apoplexia.
82. 83.

Respiratio an fiat cum magna thoracis dilata-
zione in Apoplectici. 83.

Respiratio quare non abolesur in Apoplexia. 93.

S

Sanguis concrescit in Apoplectici & quare. 86. 87.

- Sanguis effunditur aliquando in thoracem, alter-*
quando circa cerebrum Apoplecticorum &
quare. 88. 91. 92.
Sanguinis effusio per vasa vulnerata, vel per
alias quascunque hemorrhagias contingens Apo-
plexiae causa non est. 50.
Quomodo ad illam disponit. 123.
Sanguinis missio in Apoplexia quando & quibus
vitis, quam quantitate &c. instituenda. 100.
& sequentibus.
Spiritus animales non generantur in cerebri ven-
triculis. 16. 17. 30.
Syncope inducit spirituum defectus. 6.
Syncope Apoplexiæ conjuncta. 122.

T

Tumores scirrhosi consummati quare sunt incu-
rables. 103.

V

Vasa sanguinea in cerebro ab humoribus circum-
fiuis ita comprimi non possunt ut sanguinis
cursus omnino sufflaminent. 48.
Urinatores quare sub aquis non comprimuntur
ab aquæ superincumbenti pondere. 45. 46.

...is, neque ut si cuncta p[ro]p[ri]etates illae in unius
...o munificenciae conseruari possint, sed etiam
...e de .38. .38.
...us hoc, secundum meum usum est, quod non
...est magnificus, sed dignus et spaciose amplitudine
...lo. .lo.
...e. .e.
...diam ab aliis, sicut ab aliis, ut alii
...o. .o.

T

...nisi tali tempore habuimus, h[ab]emus
...tot. .tot.

V

...naturae ordinacione de celo vero visceribus, non
...magis in sensu non intus, ut est
...lo. .lo.
...naturae ordinacione sensu non
...tot. .tot.
...lo. .lo.



PRAEFATIO APOLOGETICA.



B amico & familiari Viro,
eoque Sacerdote ac Theolo-
go eruditissimo, cum id mi-
nimè timere debueram, pu-
blicâ oratione lacesitus, in
arenam descendō. LECTOR
BENEVOLE, & meæ si-
mul ac publicæ causæ defensionem suscipio.
Quamvis enim mihi molestissimum sit in refu-
tationibus scribendis tempora consumere, quæ
melioribus occupationibus addixeram : mi-
hi tamen artem Medicam proficiunt, neces-
sarium esse arbitror, famæ tuitionem non de-
serere ; & impedire pro viribus, ne præjudica-
ræ opiniones aditum obstruant veritati : neve
intempestivum silentium profligatæ causæ indi-
cium habeatur.

Hoc animo scribens, & intra modum & sep-
ta legitimæ & necessariæ defensionis me conti-
nens, Sacerdotio venerationem ; Viro eruditu-
suam laudem, & amico sacro-sancta amicitia
jura illibata servabo. Nec retorquendæ, sed
avertendæ duntaxat injuriæ gratiâ, ut Chri-
stianum decer, quidquam afferam. Nolo scruti-
tari quâ mente Vir prudentissimus, cum q.

A

P RÆFAT I O

officiis & amicitiâ sœpe certavi , relictâ subito amplissimâ , quam elegerat , dicendi materiâ ; in alienam mellem falcem intulerit , & de re medica torrentem dicendi copiam exhibuerit . Sed ad rem ipsam , pro ut gesta est , enarrandam prout nus aggredior .

Post peractam parum fœliciter disputationem publicam pro Cathedra Medicinæ vacante : dissertationes tres medicas publicè edidi : quæ aliud nihil erant , quæm präelectiones à me habitæ circa textus Hipocratis & Galeni mihi präscriptos à Senatu Amplissimo & Academiâ Venerandâ , in argumentum triduanæ disputationis . Dicam audacter , sed dicam verè : ad elucidandam Hippocratis doctrinam , totam nutritionis œconomiam , altius quæm antea factum fuisset , à me fuisse investigatam , favente Deo , & omnimodò ab ovo repetitam . Veterum insuper errores circa menstruum mulierum auxum , aliaque ad uterum spectantia convici . Veras denique eorum , quæ in illis contingunt , phœnomenon causas fœliciter assignavī & ad ulteriora viam aperui : multa detegens in hac materia , quæ à prioribus Medicinæ proceribus fuerant ignorata . Eventus hujus laboris fœlix fuit apud sinceros rerum æstimatores ; apud alios longè diversus . Occasione hujus operis (absit dicto invidia) & Parisiis & Londini albo eruditorum non sine elogio adscriptus sum . Quin etiam viri ingenio clari & famâ percellentes & è Gallia & è vicinis imperiis , ut cœpta promoverem suis me epistolis & laudibus hortati sunt . Tolosæ tamen fatō nescio quo , opus meum reprehensionem à quibusdam sustinuit ; incusantibus aliis nimiam & ut aiebant , inuti-

APOLQETICA.

3

Iehi specuandi sollicitudinem : aliis verò superstitionem , quâ in anatomicis alii que usus fueram , experientiam & Medico parum necessariam missitibus : aliis denique accuratius studium, in quærendis causis morborum & symptomatum damnantibus. Inde orta necessitas ut publicâ Oratione Gallico idiomate recitatâ & typis mandatâ demonstrarem, quomodo in rebus physicis & medicis experientia & ratio assiduæ comites esse debeant , & mutuo sibi invicem esse præsidio. Hæc quoque suos praecones habuit viros maximè eruditos, quorum hortstu dissertationes alias physicas,nec non etiam Problemata quædam physica & medica Typographis dedi publicanda anno proximè elapso : ex quibus sperabam multa naturæ arcana posse lucem accipere , & me partâ qualicumque laude quietum vivere. Verùm cùm iisdem amicis hortantibus novæ disputationis pro Cathedra Medicinæ vacante aleam iterum tentare compulsum fuissim ; ex textibus Hippocratis & Galeni mihi præscriptis in argumentum triduanæ disputationis imposita est necessitas differendi de causa Apoplexiæ. quam affectionem licet demonstrarem à sola melancholia excitari posse , juxta mentem Hippocratis in Coacis, in aphorismis, in lib. 2. de morbis , & in l. 4. de digesta acutorū; magna tamen vocis cōtentione in astu disputationū mihi exprobata est sententiæ novitas. Multitudini imposuit clamorum vehemētia sed eruditiores convicit ratio evidens: eorum tamen auctoritas murmura impeditre non potuit : quæ in privatis multorū cibis spargebātur apud imperitos : opiniones videlicet meas esse plenas novitatis , & in medicina periculosas. Silvi

P R A E F A T I O

rum atrocitye compertâ : sperans viros
eruditos & præsertim amicos, qui præsentes fue-
rant disputationi , futureos sententiaz mer ^{que}
est ipsius Hippocratis, perpetuos defensores.

Verum rumoribus iisdem perseverantibus,
nudis tertius Clarissimus Sacerdos , cuius eru-
ditionem Theologicam magni facio , in præ-
cione suâ ultimâ menstruâ pro Cathedra Theo-
logiæ vacante, tanto facundiæ imperu adversus
omnes , qui scientiis incrementa aliqua adjic-
cere nituntur , peroravit : ut mihi meaondu-
sit ne silentium meum ignaviæ aut stupidiati
imputetur. Etenim Clarissimus Theologus to-
tis ingenii viribus connexus est suadere , magni
ponderis esse debere in Theologia Philosopho-
rum auctoritatem : Religionem magnum in
Philosophia præsertim Aristotelicâ habere pre-
sidium , per hanc Fidei mysteria intelligi & ex-
pliari , & hereses debellari : Patres Ecclesie
Philosophiam Aristotelis comprobasse tanquam
Doctrinæ Christianæ maximè consonam. Tum
vero à Theologia ad Medicinam digressus ,
summis laudibus exultit Virum Clarissimum
Riordanum , in hac Academia primò libera-
lium Artium , tum deinde Medicinæ Professo-
rem ; ejusque colendam esse memoriam prædi-
cavit , quod Galeni & Aristotelis ac Hippocra-
tis doctrinæ esset addictissimus : quod phi-
losophis Doctoratus laurea donatis hoc potissi-
mum inculcaret , ne tantillum à Galeni &
Hippocratis doctrinâ discederent. Pro oratio-
nis denique coronide subjunxit Aristotelem ,
Hippocratem & Galenum columnas esse Phi-
losophiæ & Medicinæ ; eosque scientiis istis
metas posuisse, quas transgredi nefas est : frangi

A P O L O G E T I C A.

5

tumentes fluctus, qui in illos impingunt scopulos : disputationum denique , pro Cathedris Medicinæ vel Liberalium Artium vacantibus, argumenta desumi & præscribi ex illis Auctori-bus ab Amplissimo Senatu & venerandâ Aca-demiâ : ideoque sine veritatis detimento & si-ne contemptu Senatus & Academiæ , nec posse ab eorum doctrina discedi, nec illis quidquam adjici.

Ex quibus perstringi me , & redargui præle-tiones meas publicas , & quæ publicè edidi opuscula non dubito : in quibus egregia quæ-dam tantorum virorum inventa in melius pro-movi; errores etiam nonnullos detexi & emen-davi; & quamvis eos summâ veneratione colam nulli tamen eorum me serviliter addictum esse profiteor.

Cui orationi ut bono publico & pro officio meo respondeam , duo sunt mihi peragenda. Prius est, ut illius fundamenta subvertam & ra-tiones diluam : alterum ut commonstrem nihil esse utilius aut magis in scientiis necessarium , quam ut fines earum seriis laboribus propagentur: & errores veterum ubi res exigit convincantur.

Et primo quidem quod ad præjudicium atti-net depromptum ex Clarissimo Riordano, non modicâ admiratione percussus fui , cùm audi-re id allegari coram Illustrissima Academia Tolosana , ubi dum Cathedram Liberalium Artium ambiret Vir Clarissimus & cuperet so-lidæ suæ eruditionis specimen omnibus exhibe-re , Galilei doctrinam de mundi systemate , & de fluxu ac refluxu maris atque alias sententias Aristotelicis contrarias publicè propugnavit ; quamvis ex Aristotele ei præscripta suisset dif-

6 PRÆFATIO

Precandi materia. Ubi, dum eā Cathedrā pos-
tus est, plurima docuit doctrinæ Peripatetico-
rum contraria. Ubi denique nova recentiorum
inventa ita probabat, suamque illam mentem
ab omnibus ita volebat intelligi, ut postquam
ad Medicinæ Cathedram evectus est, quæsive-
rit in locum Professoris Liberalium Artium
substitui, & moderatoris munere fungi, dum Vir
Nobilis Bernardus Tournier in Templo Mo-
nasterii sancti Augustini in Thesibus suis Phi-
losophicis pro laureâ Liberalium Artium obti-
nenda, systema mundi Copernicanum tueba-
tur; sapores, odores, & alia hujusmodi con-
tendebat non esse qualitates Peripateticorum,
& ea quæ circa lucem contingunt phœnomena,
cœlorum motus, cometas, & fluxum ac reflu-
xum maris juxta doctrinam Aristotelis explica-
ti non posse. In qua disputatione cum unus ex
argumentantibus exclamasset desere adam non
esse solidam Aristotelis doctrinam, ad ample-
tendas novas opiniones, levissimis rationibus
innixas: cum illo acerbissime egit summanque
ei exprobavit principiorum Philosophie igno-
rantiam. Adeo infixum habebat animo clarissi-
mus Professor veterum placitis non esse peti-
naciter adhærendum, iisque aliquando praesta-
re recentiorum opinione.

Nihil ille tam ægrè ferebat, quam si quid
in Medicinâ, ex auctoritate seu Aristotelis, seu
Galeni, seu ipsius Hippocratis statueret.
Contra verò gloriabatur, quod quemque
asserebat, validissimis rationibus stabiliter ac
demonstraret: suisque discipulis suadebat, ut eâ
dem methodo in suis studiis uterentur. Quod
autem hortari solitus fuerit novos Doctores, ut

Hippocratis & Galeni opera in primis evoluerent, ut illorum diligentiam in morborum causis inquirendis, & curandi methodo imitarentur: nihil mirum videri debet: quæ enim meliora & perfectiora proponere potuisset exempla? At ut à Galeno ne tantillū recederent, (parcat V. Cl.) nunquam hortatus est; id enim nimis ab illius ingenio erat alienum, & Professoris dignitatī nimis aduersum. Quid enim turpius quam aliud facere: aliud atq[ue] in re tanti momenti suadere. Quid magistro indignius, quam discipulos suos decipere: ea, quæ vera pūtata dogmata reticere, & pro illis falsa obtrudere? Eodem Professore disputationes moderante quamplurimi propugnatis opinionibus Galeni doctrinæ è directo oppositis Doctoratus lauream cum laude sunt consecuti; & paulò ante ipsius obitum Vir ingeniosissimus ac solertissimus Bastiè doctrinam Sylvi de febris Galenicę adversam exposuit ac propugnavit, eodem moderatore laudante, & Doctoratum conferente.

Quæ omnia publicè alta, cùm omnibus comperta sint & explorata: quis credat cum, qui se talem ubique exhibuit, Galeno serviliter addictū fuisse: & illi pertinaciter in omnibus adhærendum censuisse? Quis non videt hæc omnia, cum essent alienæ artis, solertissimum Theologum latuisse: bonam enim fidem in eo arguere nefas duco. Verum (pace ipsius dixerim,) debuerat antea de his inquirere, quam publicè de illis tanto apparatu ac vehementiā peroraret. Non advertit Clarissimus Theologus sub specie laudis se C. Riordanum traduxisse. Maximum enim esset dedecus Professori

Medicinæ, Hippocrati, Aristoteli, Galeno & quibuscumque aliis magnis Philosophis aut Medicis serviliter addici: qui in eo dignitatis gradu constitutus est, ut eorum sit Censor: ut quæ recte invenerunt in melius promoteat, & quæ perperam dixerūt corrigat: sèpius quippe ingeniosissimus licet & solertissimus, etiam turpiter hallucinatus est Galenus: deceptus est aliquando Aristoteles: deceptus & ipse Hippocrates. Quàm satius igitur fuisset, & Theologò dignius Clarissimi Professoris invictam constantiam, insignem animi magnitudinem, pietatem, erga pauperes charitatem, erga omnes beneficentiam, indocendo assiduitatem, in Doctoribus examinandis severitatem, aliasque præstantissimas dotes commendare.

Venio ad alterum præjudicium, quòd de prompsit C. Theologus ex decretis Senatus amplissimi & Academiæ venerandæ: à quibus disputationum argumenta præscribuntur semper in Philosophia ex Aristotele; in Medicina verò ex Hippocrate & Galeno: unde inferebat nec licere à tantorum virorum placitis recedere, nec illis quidquam adjicere. Hec non tam est censura eorum, qui nova scientiis incrementa addere nituntur, quàm ipsius Senatus & Academiæ, à quibus illorum conamina probantur & laudantur. Aderat enim frequentissimus Senatus, aderant Patres Academiæ: cum Clarissimus Riordanus memorata contra Aristotelem dogmata propugnavit. Aderant insuper cum vir Nobilis Bernardus Tournier Liberalium Artium lauream summâ cum laude est consecutus. Multa alia facile possent in medium exempla proferri; ex quibus appetet novas in scientiis

APOLOGETICA.

9

adjectiones , & contraria Peripateticis dogma-
ta non displicuisse : eaque mente disputandi
materiam ex Aristotele, Galeno, Hippocrate de-
sumi, non ut cogantur concertatores omnia in-
distinctè ipsorum placita cum pertinacia, repu-
gnante etiam conscientiā, propugnare, hoc enim
est et propugnatibus laqueos tendere : sed potius
ut specimen artis in materia præscriptæ tracta-
tione exhibeat. Nullum autem majus ac certius
solertia diligentia ac scientia specimen quis-
quam edere potest; quam si ea, quæ à tantis Vi-
ris recte inventa sunt, perficiat ; iisque aliquid
adjiciat : aut si eorumdem Philosophia ac Me-
dicinae principum errores detegat ac emendet.

Non inficior quin illi præ cæteris Auctoribus
merito feligantur; ut ex eorum scriptis desuma-
tur disputandi materia : cum veterum nullus
accuratius, meliore methodo , aut majore dele-
ctu res philosophicas tractaverit , quam Aristot-
oles ; & medicas , quam Hippocrates & Gale-
nus : ita ut in quamcumque materiam ex illis
Auctoribus desumptam sors ceciderit, solerium
concertatorum conatus maxima futuri sint in
re literaria utilitatis. Absit tamen ut credamus
illos scientiarum Heroës , nec fallere potuisse ,
nec falli , Et in eorum placitis constitutam esse
certissimam regulam veritatis : quin potius pu-
blicè interest , eorum errores detegi ne famæ
splendor cæteros in eosdem lapsus alliciat. Quid
enī absurdius, quam, ne Galenum deserere vi-
deamur; cum ipso afferere glandulas esse mera
vasorum pulvinaria , circularem sanguinis mo-
tum naturæ repugnare; ductus lacteos, vasa lym-
phatica, succi pancreatici fontes esse mera com-
menta ; aliaque pertinaciter propugnare , quæ

Anatomicorum hujus saeculi diligentia & solertia falsa esse commonstrarunt. Si necesse esset haec & similia absurdia docere: hoc esset potius imponere, quam exponere; & errores fovere potius, quam scientias illustrare. Cathedra Hippocratis est qua deberent continuo veritatis oracula fundi, & salutaria ad hominum sanitatem tuendam dogmata, fieret impudentiae theatrum; perniciosum ignorantiae & errorum asylum, in quo facillimum esset cuique effugium ad illud evitare. Si enim ad Scriptorum auctoritatem, tanquam ad supremam tribunal, in disputationibus appelletur: nulla quantumvis absurdia opinio falsi unquam damnabitur: cum, juxta commune adagium, nulla sit deformitas sine amatore; nulla fatuitas sine auctore ac defensore magno aliquo Philosopho.

Quia ob causam amabo constituta sunt Academiarum: Quem in finem leguntur libri Aristotelis, Galeni, Hippocratis? Non sanè ut illorum auctoritas ac fama veritatis detimento defendantur: sed ut scientiae magis ac magis illustrentur. Quid interest seu juvante, seu repugnante Galeno: seu ex antiquis, seu ex recentioribus, seu alienis, seu propriâ cuiusq; industriâ inquiratur veritas, dummodo inveniatur'; quandoquidem ejus investigatio unicus esse debet philosophantium scopus. Sed inquiet laboriosum nimis est & temporis diuturnioris opus, rerum causas propriâ industriâ inquirere, & ex aliis non nisi post accuratâ examen accipere. Esto labore opus sit magno & diurno, ut quis ad scientiae fastigium possit pervenire, juxta effatum Hippocratis; Ars longa, vita brevis. Quid tum? An ideo melior quia brevior est via, non

APOLOGETICA.

xx

ad scientiam, sed ad inanem dumtaxat famam, si quis ex solo Galenicarum opinionum indice Doctoris titulum mereatur, nihilque teneatur ultra moliri.

Recte profectò ignavis ac imperitis; eorumque fame prospicit C. Theologus: cum assertio positas esse metas Philosophiae & Medicinae, ab Aristotele, Galeno & Hippocrate: at scientiis pessimè consulit, cum illis adjici nihil posse assertit. Is de Medicina & Philosophia Dictatoriè ausus est pronuntiare, qui in illis est adeo hospes ut nesciat, quod ii etiam non ignorant, qui vix è primo limine eas scientias salutarunt: quot scilicet & quantæ hoc sèculo iis factæ sunt accessiones. Qui nescit quanta à Galeni téporibus Medicina suscepérit incrementa. Qui nescit quam multa in structura & œconomia corporis humani detecta sint, quæ veteres latuerunt, canales varios, & quos continent humores, illorum humorum naturam & vires, internam partium structuram & usum. Qui nescit quam longe nunc melius quam olim perspectæ sint variorum morborum & symptomatum cauſæ. Qui nescit quam amplior nunc sit quam olim supellex medicamentorum tum natiorum tum eorum quæ mille modis arte præparantur, ut eorum vires intendantur aut temperentur. Qui nescit recentiorum inventum esse vinum emeticum, cui vitam Augustissimi Principis, ex qua Imperii universi pender salus, acceptam referimus. Qui nescit innumera quæ recentiores adjecterunt physicis mathematicis & subordinatis artibus ac scientiis; quibus plurima ad vitam commoda promanarunt. Qui videtur è remotissimis regionibus novissimè in Euro-

pam advectus , ut bellum iis indicat, qui in re literariæ splendorem , & humanæ vitæ commoda suam impendunt operam.

Nunquid jam mihi erit pertimescēda infamia nota; aut procul arcendus sum à cœtu eruditiorū, quod metas illas transfilierim. Nunquid fraudis aut supinitatis accusandi & dānandī erunt Viri Clarissimi , qui meos qualescumque conatus laudarunt ? Minimè verò. Quin potius fruuntur illi ac fruentur semper summā sapientiæ & eruditioñis laude. Me vero, quantācunque vehementiā C. Theologus in recentiorum ausus invehatur , non pœnitabit unquam metas illas transfuisse , & noxia adeo auctoritatis repagula evertisse. Etenim non modo fracti non sunt, quos vocavit tumētes, fluctus : sed etiam errorum scopulos feliciter dejecerunt, ut jam tuta sit & facilis navigatio in æstuoso apud Galenum pælago : ubi Philiatri in nugarum & cavillatiōnum syrribus hærebant , nuspian exitum invententes , quo poscent ad veram de iis quæ ad uterum spectant scientiam provechi. Nec minus tutam viam aperui in Dissertationibus physicis, & in Problematis, ad detegendas crisiū & motuum criticorum causas ; & eorum phænomenon , quæ circa varias sanguinis evacuationes contingunt , & ad penitus scrutādam humani corporis œconomiam. Iis omnibus clare explicādis obſliterat haec tenus Galeni auctoritas : ita ut non immeritò querantur non nulli Galenum , qui mirificè ornavit & auxili Medicinam , variis in ea erroribus occasionem præbuisse. Verū non hæc est culpa tanti Viri. Hæc mala in Medicinam intulit negligentia sequacium Galeni , qui quæcumque apud ipsum invenerunt,

invenerunt , seu aliis intento exciderint , seu ante accuratam meditationem scripta fuerint , seu aliter , quam primo intuitu apparent intellecta ; omnia tanquam certissima propugnabant , & de iis ulterius inquirere piaculum esse putarunt , & suaserunt. Sequacium , inquam , hæc est culpa non Galeni : qui variis in locis inculcat , recipienda ea tantum esse dogmata , quæ ratio suadet ; non sola magnorum Scriptorum auctoritas ; & qui saepius monet partiū humani corporis structuram accuratè ediscendam esse , per sectiones cadaverum , non ex libris , ut ex ea illarum usus deducantur. Nec melius dari poterat consilium Philiatris ; ubi enim exactius & distinctius est exarata partium humani corporis figura , magnitudo , situs , & cōnexio ; quam in ipso corpore humano ? Ex quibus evincitur , moxque auctoritate Galeni & ipsius Hippocratis manifestum fiet , in Physicis & Medicis novanti faciendam esse illustrissimum Doctorum auctoritatem ; ut ea non liceat ulterius expendere quæ tractant , & in clariorē lucem proferre.

Cur enim deterior esset conditio Physicorum & Medicorum ; quam eorum , qui reliquias scientias profitentur. Licere putant nonnulli ab Augustino recedere , quem summum in rebus Fidei Doctorem Theologi & Patres cum Ecclesia universa agnoscunt & prædicant. Non licet Physicis & Medicis deserere Aristotelem , Galenum , & Hippocratem , cum manifesta ratio , & evidens experientia suadebunt . Licet Theologis , licet Jurisperitis , ad eas , quæ profitentur scientias illustrandas , nova quæ didicere eruditioris motumenta , & inventia :

iis inquā sciētiis licet, in quibus minus id licet;
Nefas erit idē in Physica & Medicina prēstare,
in quibus non modo licet, sed etiam neceſſe est,
novis vetera emendare? Et quod maximē ini-
quum est: licet Theologis ac religiosis nova
inventa non ſolūm in Theologiam, ſed etiam
in Physicam & Medicinam, & in reliquas artes
& ſcientias invehere: Non licebit Physicæ aut
Medicinæ Professoribus? R. Patres Societatis
Iēſu, Congregationis Doctrinæ Christianæ,
Congregationis Oratorii, Ordinis Minimo-
rum aliique laudabunt ſuos, quōd illas omnes
ſcientias excolant & augeant: Summa laus
Professorum & Physicæ & Medicinæ Cathe-
dras ambientium erit; quod tale nihil faciant?
Honori erunt ſuis, & honorabuntur apud ſuos
& apud omnes, qui poſitas à veteribus metas in
quibusvis ſciētiis & artibus transgressi ſunt,
& prava eorum dogmata emendarunt: qui Phy-
ſicam, Mathematicas disciplinas, & artes illis
ſubordinatas amplificarunt: Gloriabuntur R.
Patres Societatis Iēſu quōd habeant inter ſuos
PP. Fabri, KirKerum, Clavium, Arriagam,
Fornerium, aliosque in omni ſcienſiarum ge-
nere Celeberrimos, quos longius eſſet recenſe-
re: Jactabunt Patres Ordinis Minimorum
Mersennum, Magnanum: alii alios vendita-
bunt, qui omnes tanquam de re literaria opti-
mē mériti Illuſtrium Virotum albo adſcripti
ſunt. Si quis Medicus aut Physicus, circa eaſ-
dem res physicas & medicas in Academiis ſi-
milē quid fecerit, diffamabitur, condemnabi-
tur, ejicetur? R. Pater Fabri Theologus Re-
ligiosus & Sacerdos, nemine redarguente &
cum laude animalia viva aperuit, eorum cada-

Vera secuit, extra exploravit, in illis coctionum causas, variorum humorum fontes, rivos & receptacula, & morborum origines inquisivit: atque innumera veteribus incognita detexit, & propter tot labores feliciter susceplos inter præcipuos hujus sæculi scientiarum Coryphaeos numeratur: At verò Medicus, ut Cathedrā Hippocratis dignus videatur, & reprehensionem devitet, ab his omnibus abstinebit: Hunc unicum sibi proponet scopum, ut quaecumque Galeni opiniones, etiam manifestè falsas propugnet? Summæ denique laudi ei tribuetur, (horresco referens) si dicat cum Massaria, malle se errare cum Galeno, quam cum recentioribus rectè sentire?

Quæ sententia Massariae si locum habet, non diffinitor positas esse scientiis metas; etenim non minus verè quam eleganter advertit Verulamius duo maxima esse ad scientiarum progressus impedimenta; quod scilicet eruditorum alii toti sint contradictionibus intenti, alii verò ita se devoyeant alicui Auctori, ut quibuscumque ejus opinionibus intellectum subjiciant, easque solas, rejectis cæteris, tueantur. Quodque etiam ulteriùs maximè perimescendum est; si intra illos earceres coercentur eruditæ, decrescat in dies scientiarum decus, & angustiores sient illarum limites, si rectè pronuntiavit Quintilianus his verbis. *Eum nemo potest aquare cuius vestigiis sibi utique insistendum puritat; necesse est enim semper sit posterior, qui sequitur;* Quapropter idem Quintilianus hæc subdit, *Plerumque facilius est plus facere, quam idem.*

His rationum momentis grave pondus acc-

dit ex certissimâ Regis invictissimi ac sapientissimi auctoritate : qui non solum hostes profligando subditis securitatem præstat, sed etiam felicitatem , dum pro incremento artium & scientiarum illustrem Academiam Parisiis instituit , Viros celeberrimos & solertissimos undeque accersivit : stipendiis donavit : ut detegendis naturæ arcanis sedulò incumbant jussit : & pro impensis ad hæc omnia necessariis Regis suâ liberalitate prospexit . Quorsum enim hæc omnia , si Aristoteles , Hippocrates & Galenîs Philosophiæ ac Medicinæ metas posuerunt ? Ex quibus manifestum est eos , qui recentioruta inventa deprimunt & condemnant , sacra sapientissimi Principis decreta parùm cautè perstrigere.

Verum quandoquidem Galeno , Hippocrati , & Aristoteli tantoperè addictus est Cl. Theologus , videamus quantum ipsi faveat ipsorum auctoritas , quos non displitet in propria eorum causa testes , & quodammodo judices adhibere . Hippocrates libro de arte ita loquitur .
Sunt quidam qui artem putant , reliquæ artes interpuer incessando de honestate : at qui id quidem , veluti putant , non transfigunt , ut ego sane affero , sed propriam quidem cognitionem , ac scientiam ambitiosè ostentant ; mihi vero invenire aliquid eorum , quæ nondum inventa sunt , quod ipsum nesciunt , quam occultum esse præstet , scientie usum ac opus esse viderur : similiterque & semi-perfecta ad finem perducere & absolvere . At vero verborum in honestorum arte , ad ea , quæ ab aliis inventa sunt , confundenda promptum esse , nihil quidem corrigendo ; eorum vero qui aliquid sciunt inventa apud ignoros calumniando , non sane

scientiae vorum & opus esse videtur, sed proditio
magis naturae sue, aut ignorantia artis; Solis
enim ignaris hoc ipsum factum convenit, qui
contentiosè gestiunt & conantur, nequaquam ve-
rò possunt malitiae sufficere, ad hoc ut aliorum
opera, quæ quidem nota sunt reprehendant. Eos
quidem igitur, qui in alias artes hos modo ir-
ruunt, illi quibus haec curæ sunt, quorumque id in-
terest & prestare possunt, prohibeant. Ecce
quām non modo liceat, sed etiam quām hone-
stum sit nova scientiis adjicere; ecce meam in
Hippocrate defensionem; sed ecce egregium
monitum iis, qui scientiarum incrementis prof-
picere possunt & debent? Improbat idem Hip-
pocrates libro 1. de Diæta, quod veteribus ni-
mia fides adhibetur his verbis. Multi homi-
nes ubi audierint aliquem de re aliqua expo-
suisse, eum qui de his posterius differit non reci-
piunt, non cognoscentes, quod ejusdem intelli-
gentiae est, ea, quæ recte dicta sunt, posse ju-
dicare, & non recte dicta declarare.

Galenus lib. 3. c. 4. de Decretis Hippocratis &
Platonis, ita habet Dogmatis non est adhi-
benda fides sine probacione, nequidem Hippo-
crate & Platone testibus. Idem libro quod ani-
mi mores corporis temperamentum sequuntur;
postquam reprehedit eos qui sua decreta alio-
rum testimoniis confundant, ita habet. Fge ve-
rò Hippocrati non tamquam testi, quod plerique
assolent, sed quoniam ejus rationes firmas inve-
mo, fidem adhibeo. Idem libro 3. de locis affe-
ctis cap. 2. ubi se in omnibus sc̄tis versatum
esse assertit, ita habet. Nihil enim est causa qua-
mobrem mentiar, quod facere solent ii, qui uni-
fite addicti omnem ex ipsa gloriam quartum:

quippe contentiosè eos defendere oportet eam se-
cundum veram esse, quam unicam noverant, nam
ex nullo alio disciplinarum genere gloriam spe-
ciale possunt. Ubi Galenus insinuat eos, qui
seculè alicui addicti sunt, scientes & volentes,
falsa illius dogmata defendere: de quibus libro
de Plenitudine hæc ait. *Nihil unquam invenies,*
quod illis satisfacere possit, qui serviliter cuiquam
dogmati se addixere. Idem commentario in li-
brum 6. Epidem. postquam nihil despiciendum,
nihil temere affirmandum esse docuit, ita habet.
Neque id in Hippocratis solum scriptis, sed & in
aliis omnibus antiquorum libris observo, ut non
temere que quisque ipsorum dixerit approbem-
sed experientia, id ratum verumne an falsum
sit, quod scripserunt, examino. At qui se unius
doctrinae veluti seruos adlixerunt, simulaque ab
eo scriptum aliquid invenerunt, inconsideratè &
temere credunt. Idem commentario 1. in librum
Hippocratis de humoribus hæc habet. In Me-
dicinâ non par est priscis simpliciter fidem adhi-
bere, ne si quid illi dixerint statim credamus;
sed prius experientia & ratione verumne illud
sit an falso perpendendum est, quod qui non
faciunt, ne illi vehementer errant, & in erro-
rem alios inducent, id quod potissimum usu va-
nit iis Medicis, qui quotidie in Civitatibus hac
& illae circumcurritur, ac sola experientia ex-
perte rationis utuntur.

Quantum tribui debeat veterum auctorita-
ti, docet inter recentiores Valelius cujus au-
toritas maximè ponderis est apud eruditos,
cum ita loquitur commentario in librum 4.
Hippocratis de Diæta in morbis acutis. [Non
enim est Hippocrates omnium bonorum au-

ctor fuit, proinde sperandum est invenire apud illum omnia, à primis ad postremas usque causas deducta, & placitis, quæ longa sæcula & multorum labores, vera esse indicaverunt, omnino conformia. Scripta enim ab illo, ut & ab aliis omnibus auctoribus necesse est esse multa, juxta conditionem temporum. Si enim tunc temporis Philosophia erat in incunabulis, & vix dum à vulgi sermonibus & confusis philosophare incipientium placitis, recesserat, qui poterat de morborum essentia & causis tam constans & certa esse opinio, quam nunc. } Ipsi itaque Medicinæ principes, quorum auctoritati cœcum obsequium exhibendum esse tantoperè prædicant aliqui, docent nos, quam parùm fidere oporteat eidem auctoritati, & quam serio incumbendum sit, ut Medicina aliaeque scientiæ demonstrationibus illustrentur & novis inventis augeantur.

Quod attinet ad Aristotelem, quantum ejus auctoritati tribuendum sit, & quid in scientiis agendum, omnium elegantissimè docet Rodolphus Agricola lib. 1. cap. 3. de inventione dialectica, his verbis. *Pulchre mecum agi putarem, si non sic etiam mihi soli ista widerer elaborasse. Sed aliquibus profuturus labor meus aliquorum esset studia juvavimus. Quæ mens utinam faisset phrisque maximus, & pari ingenio facundiaque viris; habevemus apertiora illustrioraque in Philosophia profectò omnia. Ut enim eos transeamus, qui verum omnium naturam vel ad numeros conati sunt, vel ad figuræ redigere; ut eos etiam, qui omnia involucris atque ambagibus quibusdam velut mysteria texerunt. Iam qui obscuritatem in dicendo sequuti, rerum lumen orationis tenebris*

obruerant: Credas eos illa quæ sciebant noluissi
prodere, & reticere nequivisse. De Aristotele di-
cam. Hic enim propemodum solus omnium prisca
etatis Philosophorum permanxit in manibus, hunc
solum, qui Philosophiae destinantur, astringunt.
Hunc primum pueri discunt. Huic ultimum senum
studium immoritur; Hunc artes omnes, omnia stu-
diorum genera, terunt, trahunt, discerpunt. Ma-
gnus utique vir, & quem iure omnis miretur pa-
steritas. nec enim vel memoriae viri, absolvendis
omnibus Philosophiae partibus optimè de studiis
meriti, objectum quidquam velim; vel laudi,
quām tot sacerdorum firmavit opinio, putem quid-
quam detrahi posse: sed videtur mihi dolendum
esse, sedisse illud animo gravissimi hominis, ut
non simpliciter atque aperte proferret quæcumque
inveneras: ut præter laborem, quem ipsa verum
esser habitura obscuritas, alia nobis etiam objice-
retur difficultas, quo necesse haberemus mentem
ipsius, velut oraculi suspensam & ambiguam in-
dagine perquirere. Themistius itaque auctor est.
Longe aliter omnia esse edita ab illo, quam sunt
domi tradita: dementi & que simile esse si quis inle-
gendis libris ipsius speret illius se sententiam con-
secuturum: Sed quid Themistium dico, ipse de se
locupletissimus est testis; scribit enim quādam ad
Alexandrum Epistolā edidisse se quæ ad Philoso-
phiam pertinent: sed perinde tamen nisi qui ab eo
audierit eadem ista, ac si edita non essent, futura.
Nos tamen omnes illius nos sententias modo, sed
verba etiam pertinacissimè & mordaces tenemus,
ac si quis movere quidquam tenet, aut discedat
transversum (quod ajunt) digitum ab eis, non
aliter atque qui secantur urunturque clamamus:
faciliusque tolerimus de mysteriis, summaque re-

ligionis aliquid auferri. Ego Aristotelem summo ingenio, doctrinâ, eloquentiâ rerum peritiâ, prædientiâque, & ut semel dicam, summum quidem hominem, sed hominem tamen, fuisse puto; hoc est quem & latere aliquid potueris, qui que ut non omnia primus invenerit, ita aliis post se invenienda aliqua reliquerit: qui etiam non omnia quæ invenerat, crediderit in vulgus prodenda, & nonnumquam forsitan contradicendi studio, quo maxima ferè tentantur ingenia, non tam quid ipse sensicer, quam contra quod alius sensisset, dicendum putaret. Plurima ille recte, sed & alius aliquid non male; quo justiorum ego veniam illis esse credo oportere, si qui fuerint, qui putarent non satis illi sanguinem scopulo usquequaque adhaerendum esse, neque de suis desperarunt ingenii: cum ingrati possint & inique de parente omnium naturâ existimantes videri, credere ipsam omnia sua in uno illo partu effundentem munera, reliqua posteritas humani generis in omne evum sterilem efficerique manere voluisse. Quam charior esse debeat magistri cujuscumque auctoritate veritas, nos docuit ipse Aristoteles, cum postquam à Platone defecit, dicere solebat; amicus Plato, sed magis amica veritas.

Postquam auctoritatē & exemplo Galenī, Aristotelis, & Hippocratis ostendimus à Philosopho alienum esse, ut eorum auctoritati sit serviliter addictus; supereft ut expendamus an meritō auctoritati Aristotelis in religione præsidium queratur; an revera ejus doctrina fidei mysteriis aliquanti possit lucem afferre; an ejus sectatores, ut illius auctoritatem defendant, Religionis dignitate abutantur; eamque deprimant, cum dicunt Philosophiam Aristotelis

plurimum ad religionis tuitionem conferre?

Proculdubio vera Philosophia hominū metet, ad veram Religionem amplectendam disponit: sed non quā ratione putat Cl. Theologus, Mysteria scilicet explicando. Quod ad Sectas attinet; quæcumque eæ sint, bene ageretur, si Christianæ Religioni detrimenti nihil afferrent. Quanticumque enim sint illarum autores, homines sunt, & ut loquitur scriptura mendaces, ita ut non liceat salvâ veritate cuiquam in omnibus adhærere, in iis etiam, quæ rationis examini subjiciuntur: in quibus ii, qui sciemiarum Principes perhibentur, turpiter erasie non raro deprehenduntur.

Vera (inquam) Philosophia eatenū tantum ad Religionem Christianam hominum mentes disponit, quatenū Animæ immortalitatem & Dei existentiam demonstrat. Quisquis hanc agnosceret, eo ipso certus erit in Deo esse infinita, quæ singula captum humanum infinito intervallo superant, certus erit Deum primam veritatē nēc falli posse nec fallere; & statim atque de revelatione divina constabit, mysteria revelata venerabitur, intellectum, ex Pauli præcepto, in Fidei obsequium captivabit. An ab humana ratione subsidium queret, ut ea clare intelligat, quæ rationem superant, quæque scrutari ipsa ratio vetat? An ad Platonem aut Aristotelem tantopere laudatum confugiet? An ad alios gentium Philosophos? An ex iis Christianæ Religionis mysteria explicabuntur ac stabilientur, quibus ipsa mysteria fuere stultitia? Qui eorum, quæ credenda proponuntur in Evangelio Christi, rationes exquirit, an credit? Qui demonstrationem in

rebus Fidei exigit, is Philosophis accēsendusne est, an Christianis? Qui de mysteriis dubitat, donec ea ad Aristotelis trutinam expenderit, nunquid dicendus est Aristotelicus potius quam Christianus? Etenim non diuinæ revelationis; sed Aristotelis auctoritati ejus acquiescit animus. Sola revelationis certitudo sufficit viro Christiano: imò nefas est aliud Fidei fulcimentum quærere, præter revelationis certitudinem; quæ petenda est, non ab aliqua Philosophorum sectâ sed ex Historia sacra; seu per scripturam seu per traditionem fuerit ad nos de-jata. D. Stephanus ut Iudeis, à quibus lapida-batur, suaderet Christum esse eum, quem ex-pectabant redemptorem; an Philosophorum tes-timonium adduxit? Minime: Sed solani re-tulit Historiam sacrā ab Abraham ad tempora Christi. Hac cogetur fateri Christum esse ve-rum redemptorem, quisquis à seriâ rerum ad divinum cultum spectantium meditatione non avocabitur ambitione, avaritia, voluptate, aliisque cupiditatibus: nihil habebit quod op-ponat ratio, quam turbabunt potius, quam ju-vabunt Philosophorum placita. Quanti sit fa-cienda Philosophorum auctoritas intelligere li-cket ex D. Paulo Epist. 1. ad Corinthios, cap. 1.
Scriptum est enim, perdam sapientiam sapientium, & prudentiam prudentium reprobabo. Vbi sapi-ens? Vbi scriba? Vbi conqueritor hujus sœculi? Non nesciuitam fecit Deus sapientiam hujus mundi? Nam quia in Dei sapientia non cognovit mundus per sapientiam Deum; placuit Deo per stultitiam pœdicationis salvos facere credentes. Quoniam & Iudei signa petunt, & Greci sapientiam querunt: nos autem predicamus Christum Crucifixum: Iu-

*deus quidem scandalum, Gentilus autem scelitus
 am? Vbi licet advertere, quam reprobetur ab
 Apostolo sapientia Græcorum, Philosophorum
 scilicet, inter quos primas obtinuerunt Plato,
 Aristoteles, Zeno, & Epicurus. Capite 2, ita habet
 idem Apostolus. Et ego in infirmitate, & timo-
 re, & tremore multo fui apud eos; & sermo meus,
 & prædicatio mea non in persuasibilitus humanae
 sapientiae verbis, sed in extensione spiritu & vir-
 tutis: ut Fides vestra non sit in sapientia hominum,
 sed in virtute Dei. Vtri consilio jam parebi-
 mus? Si Paulo obsequamur, Fides nostra erit in
 virtute Dei. Si Philosophos audiamus, in sa-
 pientia hominum. Apage omnis Philosopho-
 rum auctoritas, ut nostra sit Fides in Dei vi-
 tute. Quid speratur ex Aristotele circa myste-
 ria Fidei, præter quæstiones non modò inuti-
 les, sed etiam periculosa, quibus tractandis
 aliquando Doctores Scholastici tempus misere-
 consumunt, quod deberet impendi, sed ea
 ediscenda, quæ summæ sunt utilitatis & neces-
 sitatis Ecclesiæ Ministris ad regendos & docen-
 dos fideles, scilicet scripturam, decreta Pontifi-
 cum, Conciliorum placita & Patrum Ecclesiæ
 Doctrinam, ut ex subtilitate Peripatetica po-
 pularem auram captent; in quos cadit illud
 Apostoli Epist. 2. ad Timotheum cap. 4. Erat
 enim tempus, cum sanam Doctrinam non sustine-
 bunt, sed ad sua desideria coacerrabunt sibi ma-
 gistros prurientes auribus: & à veritate quidem
 auditum avertent, ad fabulas autem converten-
 tur. Doctas illas fabulas reprobat D. Petrus
 Epist. 2. cap. 1. his verbis. Non enim doctas fa-
 bulas secuti notam fecimus vobis Domini Nostri
 Iesu Christi virtutem & præsentiam, sed specu-
 latores*

Iatores facti illius magnitudinis, & paulò post. Et habemus firmiorem propheticum sermonem, cui bene facies attenderes, &c. Non suadet Petrus ut consulantur Philosophi, sed Prophetæ. His Apostolorum monitis si attenderent Theologî, nulli essent apud eos, quales aliquot esse dolemus, qui Biblia sacra vix attingunt, Pontificum & Conciliorum decreta vix consulunt, ut se totos ad Ethnicorum sapientiam convertant, in rebus Fidei: ut Aristotelem sequantur & prædicent.

Objicient cum Cl. Theologo, Patres Ecclesiæ Aristotelem semper commendasse; quia illius doctrina Religioni Christianæ est maximè consona. Patres Ecclesiæ (inquiunt) commendarunt Aristotelem? An in aliis casis Apostoli militant, in aliis Ecclesiæ Patres; aut diversa vexilla sequuntur Aristotelis (inquiunt) Philosophia est consona veræ Religioni? Aut cùm docet mundum esse ab æterno? An in eo, quod afferit Deum non esse distributorem fortunæ, & eorum, quæ à fortuna tribuuntur, Deum non habere curam malorum & miseria? Volum quid Patres Ecclesiæ ad religionem Christianam Conferre putaverint varias Philosophorum sectas; quid Peripateticam, nos docebunt ipsi. Ambrosius Mediolanensis Episcopus Philosophiam à Theologia esse ablegandam suadet l. de Fide his verbis. *Aufer hinc argumenta ubi Fides queritur.* Et paulò post. Nunc rideamus, quo distant à Gentilibus Ariani. Illi Deos appellant disparés, seu dissimiles potestate. Iste Trinitatem afferunt differentis divinitatis, & dissimilis potestatis. Illi Deorum suorum principium afferunt temporale; Et isti Christum ex

tempore cœpisse mentiuntur. Nonnè ex Philosophia omnem impietatis sue traxerunt colorem. Idem lib. i. officiorum rejicit nominatim Philosophiam Aristotelis à qua Ariana hæresis præmanavit.

Joannes Chrysostomus homil. 24. in Joann. hæc habet. Nihil peius est, quām humanis rationibus spiritualia subjicere, hoc Nicodemum impedit, ne quid magnum, ne quid profundum contemplaretur. Ideo nos fideles appellamus, ut humanarum cogitationum vanitate contempta, ad Fidei altitudinem evadamus. Idem in Ps. 115. Vide, inquit, quantum sit periculum res Fidei permittere humanis rationibus, & non Fidei. Tertullianus lib. de præscript. hæretorum c. 7. ita habet. Ipse denique hæreses à Philosophia subornantur, inde Æones, &c. Et paulò post misericordia vocat Aristotelem qui illis Dialecticam instituit, artificem struendi & dostruendi versipellit, in sensuibus coactam, in conjecturis duaram, in argumentis operariam contentionum, molestam etiam sibi ipsi, omnia retractantem, ne quid omnino tractaverit. Hinc ille fabule & genealogie interminabiles & questio[n]es infatuose, & sermones serpentes velut cancer, à quibus nos Apostolus refrrens nominatim Philosophiam contestatur caveri oportere, scribens ad Colossenses. Videlicet nè quis sit circumveniens vos per Philosophiam, & inanem seductionem, secundum traditionem hominum, preter providentiam Spiritus sancti. Fuerat Athénis & istam sapientiam humanam affectatrixem & interpolatrixem veritatis de congreſſibus noverat; ipsam quoque in suas hæreses multipartitam via rictate sectarum invicem pugnantium. Quid ergo

Villanus & Hierosolimus? quid Academia & Ecclesia? Quid Hæretici & Christiani? nostra institutio de porticu Salomonis est, qui & ipse tradiderat Dominum in simplicitate cordis esse quaevendum. Quanta mala in Christianam Religionem intulerit Philosophia tum Platonica, tum Stoïca, tum maximè Aristotelica noverat Tertullianus expertus, tum in aliis, tum in Hermogene, qui, per Philosophiam seductus, à Christo defecit, contra quem invehitur lib. adversus Hermogenem.

D. Augustinus in libris contra Julianum in rebus Theologicis Aristotelicam subtilitatem passim aversatur detestaturque.

S. Hieronymus Presbyter & Doctor Ecclesie in Dialogo contra Luciferianos hac habet. Revera de Platonis & Aristotelis sru in Episcopatum alleguntur: quouscunq; enim quisque est, qui non apprime in his eruditus sit? Denique ex liberatis quicunq; que hodie ordinantur id habent rura non quomodo Scripturarum medulas exhibant, sed quomodo aures populi declamationum florculis demulcent. Accedit ad hoc, quod Ariana heresis magis cum sapientia seculi facit & argumentationum vivos de fontibus Aristotelis mutuantur. Idem l. 1. contra Pelagianos. Hæc argumentatio tortuosa est, Ecclesiasticam simpliciter inter Philosophorum spineta concludens, quid Aristoteli & Paulo? quid Platonii & Petri? Et lib. 3. Disputatio sua non ex fontibus veritatis & Christiana simplicitate, sed ex Philosophorum minutiis & arte descendit, l. 10. contra Helvidium. Non Rhetorici campum desideramus elegi, non dialecticorum tendiculos, nec Aristotelis spineta conquiritimus, ipsa Scripturarum

verba ponenda sunt.

D. Bernardus Sermone 11. in die Pentecostes ita habet. *Gaudes vos esse de hac Schola,* de Schola, videlicet spiritus, ubi bonitatem & disciplinam & scientiam discatis, & dicatis cum Sancto: super omnes docentes me intellexi. Quare, inquam? nunquid quia Platonis argumentias, Aristotelis versutias intellexi, aut ut intelligerem laboravi? absit, inquam, sed quia testimonia tua acquisivi. Idem in Sermone primo in festo Apostolorum Petri & Pauli. Hi sunt magistri nostri, qui à magistro omnium vias vite plenius didicerunt, & docent nos usque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt vel docendi non Apostoli sancti: non pescatoriam arietem, non scnofactoriam, vel quidquid hujusmodi est, non Platonem legere, non Aristotelis versutias inversare. Idem in Sermone 12. de Nativitate Domini ita habet. *Solus iste de sola Virgine nascitur, & Virginis uterum novo & singulari partu divinitas humana sigillat.* Ubi nunc Aristotelicae subtilitatis facunda quidem, sed insaecunda loquacitas & si peperit, cum viro colibrait, velis, nolis, verbitur in habitum privatio, nec adstringitur dialecticis terminis omnino terminator, ad cujas imperium perit natura, dissuescit consuetudo. Gregorius Nyssenus Episcopus Philosophos, & nominatum Aristotelem à Theologia abigendos suadet in oratione 6. & 11. contra Eunomium in præfatione Catecheticae orationis. Gregorius Nazianzenus idem suadet variis in locis tum oratione 26. Alijs contra exiguo ingenio est, & lingui pauper, nec verborum flexus & captiones novit, nec sapientiam dicta & enigmata, nec prærum

artium Aristotelicarum artificium : aut Platonice eloquentiae prestigias, quæ velut Ægyptiacæ quadam plague in Ecclesiam nostram irrepserunt. Cyrus Alexandrinus Episcopus pariter Aristotelem & reliquos Philosophos ab Ecclesia rejicit.

Epiphanius Constantiæ Cypri Episcopus l. II. hæresi 69. *Huic argumento non dissimile est aliud ab novis illis Aristotelicis inventum. Nam hujus Philosophi virus omne in se ipsis expresserunt. At illi mansuetudine relictâ calliditatem potius amplexi sunt, sequi ad Aristotelem & cazeros hujus mundi dialekticos accommodare maiuerunt, quorum suetus ita consecrantur, nullam ut justitiae fugem proferant, nec ullum Spiritus sancti beneficium, uspere contentionis plus equo cupidi impetrare meruerunt.* Multis etiam aliis in locis simili modo inychitur in Philosophos, & nominatim in Aristotelem & ejus sectatores. Clemens Alexandrinus in admonitione ad Gentes, Irenæus Lugdunensis Episcopus l. aduersus hæreses, Petrus Chrysologus Ravennatenis Episcopus, Philosophos & nominatim Aristotelem, & ejus Sectatores rejiciunt, tanquam Ecclesiæ hostes & impietatis fautores: quorum doctrina adversatur doctrinæ Mosis, Prophetarum & Evangelii.

Cardinalis Beffarion lib. I. contra Calumniatorem, ita loquitur. *Quod non ideo faciemus, quia Platonem aut existimamus, aut velimus ostendere Christianum esse: alienus enim à nostra Fide iam Plato quam Aristoteles fuit: Et ut nomine, sic & religione gentilis uterque. Proprie quod frustra Aristotelem hoc loco laudat adversarius; & ineps consilii, quod vera dicere*

*videatur, ad religionem refugit: ut solent re-
capiis, querenda salutis gratia, ad asylum se,
aramque recipere.*

Eusebius Cæsariensis Episcopus lib. 5. histo-
riæ Ecclesiasticæ de Artemonis hæresi agens,
postquam conquestus est de iis, qui per Philo-
sophorum argutias scripturas depravant, hec
habet. *Relictis verò & depositis sacrarum lite-
rarum studiis, omni cura & cogitatione in Geo-
metriam incumbunt..... Aristoteles & Theo-
phrastus in summa habentur veneratione. Gale-
num etiam fortasse nonnulli summè venerantur.
Ecce præsenserat pius Episcopus futuros ali-
quando Theologos; qui relictâ materiâ Theo-
logicâ Galeni autoritatem in ipso Theologie,
sacrario defenderent. Odo Cardinalis & Tu-
sculanus Episcopus in Sermone Dominicæ
post Festum Trinitatis, ita loquitur. *Nota quod
tibo, quem tulerant filii Israël de Aegypto, tri-
ginta diebus usi sunt; in iuna quadraginta an-
nis: ad notandum, quod in scientiis Philosopho-
rum modicum debemus morari; in Theologia om-
nibus diebus. Sed moderni totum tempus in se-
culari scientia expendunt, parum vel nihil de
scientia Dei curantes.**

Qui plura volet illustrium Theologorum &
sanctorum Patrum testimonia, quibus Gentilium
Philosophia à Theologia ablegatur, vi-
deat Celeberrimi Theologi Joannis Launii
librum de varia Aristotelis fortuna. Unus ta-
men adhuc nobis consulendas est Basilius Ma-
gnus, quem solum citavit Cl. Theologus, af-
firmitque eum libro de Spiritu sancto ex doctrina
Aristotelis eam diremisse, quæ inter quosdam
agitabatur, cōtroversiā an scilicet dicendū esset

Gloria Patri , & Filio , & Spiritui sancto ; an cum Spiritu sancto , an in Spiritu sancto . Postquam hæc audivi , cùm probè scirem S. Basiliūm aliis in locis aliter sentire suborta est suspicio Cl. Theologum in exemplari corrupto legisse , aut aliorum testimonio faciliūs credidisse . Cujus rei ut certior fierem totum ilium librum legi & relegi , & nullam comperi ibi fieri mentionem Philosophiæ Aristotelicæ . Tantum abest ut S. Basilius approbet Philosophiam Aristotelis aut aliam quamcumque in rebus Theologicis , ut potius ipsi data fuerit occasio scribendi hunc librum de Spiritu sancto ab iis , qui externæ & inani , ut vocat , Philosophiæ operam navantes , quas vocibus affixerant reruni corporearum significaciones , ad res divinas transferebant : unde innumeri errores pululabant : quarū vocū vim non ex Philosophorū doctrina inquirit ; sed ex usu fidelium & Scripturæ , in qua qui textus videntur obscuri , per alios , aut per traditionem explicat .

Quo ipse sit animo erga varias Philosophorum sectas testatur Basilius lib. 1. contra Eunomium , in ipso principio , ubi præcipuam errorum in Ecclesia causam esse conqueritur , quod plerique Evangelii veritate non contenti , ab Apostolorum traditione ad inanem sapientiam abeant . Deinde contra eos qui ad Philosophiam configiunt ita loquitur . *Num Aristoteles aut Chrysippi syllogismis opus est , ut eum perdiscamus , qui est ingenitus , neque ab alio natum ; neque priorem , aut posteriorem seipso .* Et paulò post contra Eunomium . *Quod autem ista ē mundi hujus sapientia loquatur (Eunomius) , non est arduum demonstrare . Aristotelis enim sunt .*

P R A E F A T I O

*Quare vobis ostendere sufficiebat , non ex doctrina spiritus; sed ex doctrina principum hujus faculi ha-
eum dicere , ac illud Psalmista ad ipsum exclamare
[Narraverunt mihi iniqui fabulationes , sed non
ut lex tua] ut cum disceremus non è doctrina Do-
mini nostri Jesu Christi esse , quæ dicuntur , vo-
cem ipsius Domini recordemur , quā dicitur: quo-
niam , cum loquitur mendacium , à seipso loqui-
tur Atque hoc pacto verborum multitudinem no-
bi abscederemus , cum hinc universis palam fa-
ceremus nihil nobiscum ipsis esse commune. Ete-
nim (inquit) quænam convenientia Christo ad
Belial ; aut quæ pars fidei cum infidelis?*

His mihi videor satis demonstrasse me salvā,
quam debo Fidei mysteriis , reverentiā , po-
tuisse ab Aristotele , Galeno & Hippocrate re-
cedere ; eorumque præsidio religionem mini-
mè indigere. Fateor equidem in scientiis hu-
manis , ac in liberalibus artibus magni ponde-
ris esse illorum auctoritatem : & honorem illis
singularem deberi , eò quod ea , quæ invene-
runt egregia utiliaque posteris communica-
runt : non inficiar levitatis esse aut temeritatis;
à tantis viris sine ratione recedere. Verum co-
eo in ipsos obsequio servilique animo omnia
eorum placita pertinaciter defendere : iis , quasi
errare non potuerint , credere ; nec audere eo-
rum inventis quidquam adjicere , à Philosopho
alienum puto. Quin potius turpe est nos , qui-
bus tanti viri ad ulteriora viam aperuerunt &
complanarunt , ultra ipsorum vestigia nihil ten-
tare. Quapropter nec reprehensione adversan-
tium deterritus , nec vituperiis dejectus cœpta
prosequear , & pro viribus , quam profiteor ar-
tem conabor illustrare. In summa autem ple-

rorumque propensione ad vituperanda ea , quæ
laude digna sunt , & ad laudanda ea quæ debe-
rent improbare , assensum paulisper sustine Le-
ctor benevole , obtrectatoribus , si quos habeo ,
ne crede donec meas qualescumque lucubratio-
nes expenderis : ex iis intelliges antiquissimam
esse ; quam propugnavi , de apoplexiæ causa
sententiam : eæ erunt tibi seu eruditioris seu
imperitiæ testes incorrupti ; juxta illud , ex fru-
titibus corum cognoscetis eos .



APOLOGETICA

qui est deus et qui est homo? et quae sunt
potestimur et potestimur non potestimur?
et quae sunt potestimur et potestimur non
potestimur? et quae sunt potestimur et
potestimur non potestimur? et quae sunt
potestimur et potestimur non potestimur?
et quae sunt potestimur et potestimur non
potestimur? et quae sunt potestimur et
potestimur non potestimur? et quae sunt
potestimur et potestimur non potestimur?
et quae sunt potestimur et potestimur non
potestimur? et quae sunt potestimur et
potestimur non potestimur? et quae sunt
potestimur et potestimur non potestimur?
et quae sunt potestimur et potestimur non
potestimur? et quae sunt potestimur et
potestimur non potestimur?

quae sunt potestimur et potestimur non
potestimur?



